ANTIQVITATES

potiſſimùm Romanæ

è ROSINO *aliſque in*

COMPENDIVM CONTRACTÆ,

Et juxta

Ordinem Alphabeti diſpoſitæ

BONO JUVENTUTIS

Operâ & ſtudio

M. FRIDERICI HIL-

DEBRANDI, P. Cæſ. Sch.

Northuſ. p. t. CON-R.

Editio tertia, auctior & correctior.

OXON.

Excudebat HEN: HALL: Impenſis.

RIC: DAVIS. 1674.

Imprimatur.

P. Bathon: & Wellen:

Vice-Can. Oxon:

Apr. 28. 1673.

ANTIQVITATES

potiſſimùm Romanæ

è ROSINO *aliſque in*

COMPENDIVM CONTRACTÆ,

Et juxta

Ordinem Alphabeti diſpoſitæ

BONO JUVENTUTIS

Operâ & ſtudio

M. FRIDERICI HILDEBRANDI, P.Cæſ.Sch.

Northuſ. p. t. CON-R.

Editio tertia, auctior & correctior.

OXON.

Excudebat HEN: HALL: Impenſis

RIC: DAVIS. 1674.

Προσφωνησις

AD

JUVENTUTEM

Antiquitatis Romanæ Studiosam.

TErræ per oras sparsa seculis priscis.
Cœlo propinquas Turba Romulas arces
Stupuit, stupemus, astra dũ polus pascet,
Stupescet orbis, erudita Doctorum
Monumenta scriptáque impigrâ manu versans.
Quis non stupendas arte, sumptibus, moles
Miretur *Arcus* insolens *Triumphales*,
Tarpeja Templa, Principum, Ducum, Regum
Opulenta donis, gentiúmque cunctarum
Spoliis superbos prænitentibus postes:
Illustre famâ *Pantheon*, Deûm sedem,
Obeliscum & Ova, Carcerésque, Delphinos
Metásque? Quis non mentis ardeat visu
Victricis Urbis *Insulas, Domos, Colles*

 Lustrare,

Luſtrare, quæque tot Virûm fatigârunt
Calamos ſonoros, nôſſe? Paginas doctas
Volvis, revolvis? in parùm rudis notâ
Verſare ſilva, multa te latent tecta
Denſis tenebris, quas negotio nullo
Antiquitatum diſcutis probè gnarus.
Hîc *Candidati* nomen, hîc *Togæ* diſces,
Latóſque Clavos hinc petes & *Angustos:*
Hîc *Imperator* ſiſtitur *Paludatus*,
Statuit *Trophæa*, curribúſque inauratis
Invectus Urbem reppetit *Triumphator*.
Aſt morte fuſus (fabulas vide, ride!)
Aquila miniſtra in templa ſiderum fertur.
Hîc auſpicatus *Oſcines aves Augur*,
Volſgræ, *Siniſtræ*, *Præpetes* notat certus,
Nî ſigna fallant, nuntius futurorum.
Hîc *Lictor* adſtat, præferénſq; bis ſenos
Virgarum acutis cum *ſecuribus Faſces*
Facit imperata, Conſulíſque mandato
Ferit Nocentes, ſummovet viâ turbam.
Hîc ſpiſſa *Ludos Gymnicos* Togatorum
Spectat corona *Scenicóſve*, jam *Soccis*
Indutus exit Roſcius, modo ſuras
Vinctus *Cothurno*, prodit. Ære non magno
Venale ferro, vulneri, neci corpus
Gladiator offert, quo cadente, conclamat,
Habet!

Habet! popellus, Hoc habet! necat, ſervat
Plebs comprimendo pollicemvè vertendo
Sibi ſupplicantem. Virgulam hîc quatit *Cenſor*,
Movet Senatu, cujus haud legit nomen,
Adimit nitentes annulos equo vendi
Juſſo, tabellis Cæritum inſerit civem
Contaminatis moribus laborantem,
Scelerum ſeverus Fronte, Voce, Re Vindex.

Belli apparatus nôſſe ſi juvet, *Tela, Tormenta, Turres, Arjetéſque Ballistas*
Et *Scorpiones* hîc legis. Leges lectu
Jucunda, ſcitu digna. Te moror Lector,
Hederas virentes hæc Falerna non poſcunt.

Antiquitates ilicet trahunt quoſvis,
Ut æra magnes, ſuccinum leves floccos.

Antiquitates ſcire Romulas ſpernas?
Qui docta ſcripta Romuli manu crebrâ
Verſas Nepotum, Virgilî cothurnati,
Venuſini Oloris, quæque prodidit Naſo.

Cum Tulliano farier ſtylo diſcas,
Ab ore grandis pendeas frequens Livî,
Soccos Terentî cum leporibus Plauti

Jungas, & arces Pallados ſacras ſcandas,
Antiquitates ſcire Romulas ſpernas?
Haud ſpernis. Hoſce, Te, Juventa, compello,
Roſiniano fonte qui fluunt largè,
Æqui boníque, quæſo, conſulas rivos.
Have, Juventa, Have, Fave, Vale. Cœli
Pater ſecundet cœpta, conſerat donis,
Téque omnis, opto, compotem boni reddat.

A.

A *Bolla* Veſtis militaris; quandoq; ſumitur pro veſte Senatoria, aut pro veſtis Philoſophicæ genere. Juven. Sat. 3.

——— *audi facinus majoris Abollæ.*

Addit Lubinus in Comm. audi ſcelus aliquod majoris & ſanctioris veſtis talaris Philoſophicæ, i. e. audi ſcelus aliquod Philoſophi Stoici.

Acca Laurentia, Fauſtuli Paſtoris uxor, Romuli & Remi, Urbis conditorum nutrix, cui Romulus aram & annuas ferias conſtituit, *Laurentalia* dictas, & quia corpore quæſtum fecit, *Lupa* dicta eſt à moribus. Hinc nata eſt fabula, Romulum & Remum, ex Ilia gemellos, Amulii imperio expoſitos, à *lupâ* ferâ eſſe enutritos. Vid. Flor. l. 1. cap. 1.

Accenſus, Miniſter Magiſtratus, ab *acciendo* dictus, quod, quemcunq; juberet Magiſtratus, acciret ſive accerſeret, vel quod ſæpius ad res neceſſarias acciretur, ut ait Varro. Alio ſenſu Feſto dicuntur *Accenſi*, qui in locum mortuorum militum ſurrogantur, quia ad cenſum adjiciuntur: iidem & *Adſcriptitii* dicti, de quibus alibi.

Ac

Accumbendi modus. Priſcis temporibus cnm frugalitas & modeſtia vigerent, ſedebant, non accumbebant viri pariter ac mulieres, poſt cùm opibus, ut fit ſuccedente luxu, paulatímq; ad molſitiem moribus inclinantibus, accumbere viri cœperunt, mulieres in ſedendi conſuetudine diu permanſêre pudoris gratiâ. Virgilii verſus notus eſt:

Perpetuis ſoliti Patres conſidere menſis.

Quo loco Servius, *Majores*, inquit, *noſtri ſedentes epulabantur.* A Græcis primùm manâſſe videtur *Accubitus*, index diſſolutæ lætitiæ & jucunditatis cujuſdam, viro gravi parùm dignæ. Manut. de quæſitis per Epiſt. *De accumbendi ritu notanda, quæ ſequuntur.* In cœnaculo menſa collocabatur, rotunda, humilis, inferiorum quidem hominum tripes, & ex ſimplici ligno; lautiornm verò citrea, aut acerna, aut laminâ argenteâ intecta, quam pes eburnus fabrefactus, puta in modum pardi aut leonis, ſuſtinebat. Circa menſam tres ùt plurimùm lecti erant, unde *Triclinii* nomen, nonnulli *Sigma* vocârunt; olim enim ſigma, ut mediam lunam C ſcribebant; Interdum duo tantùm lecti, quod

quod Plauto eſt *Biclinium*. Lecti inſternebantur aulæis, purpurâ, aut aliâ veſteſtragulâ, pro copia aut inopia Convivatoris. Priuſquam accumberent, lavabantur, & togas mutabant veſtibus, quas à re *Cœnatoria* dixerunt, tum etiam ſoleas pedibus demebant, ne lectum conſpurcarent. Cæterùm terni, aut ſummum quaterni lectum occupabant; ſi plures, ſordidum id & minimè lautum habebatur. Accumbebant autem ſuperâ corporis parte reclinatâ in cubitum ſiniſtrum, inferâ in longum porrectâ, ac jacente capite, leviter erectô dorsô à pulvillis modicè ſuffultô; quod ſi plures unô lectô decumberent, primus decumbebat ad caput lecti, cujus pedes porrigebantur ponè dorſum ſecundi; ſecundus occiput obvertebat ad umbilicum primi, pulvillô interjectô; pedes jacebant ad tergum tertii; & ſic deinceps tertius. Qui ad caput lecti decumbebat, *ſummus* dicebetur, qui ad pedes, *imus*, qui inter iſtos, *medius* & hic digniſſimus, honore proximus erat ſummus. Præterea vela ad excipiendum pulverem, ne ſuper menſas, dapes & convivas ſpargeretur, ſuſpendi ſunt ſolita; ea

Horatius

Horatius *Aulæa* vocat. Cœnaturi etiam antiquitùs, ad dolores capitis ex cibo & potu averruncandos, laneis & lineis vinculis frontem & tempora vinxerunt, & poſteà coronis ex floribus, herbis auroq; mutârunt. Pocula priſcis fuerunt boum cornua. Ut etiam aliàs lotio priſcis frequens fuit, ita non ante menſam modò, ſed in convivio meliore per ſingula fercula & miſſus lavabant, corpore paululū à menſa averſo. Lampridius in Heliogabalo: *Paraſitis ſæpe cereammenſam, ſæpe ligneam, ſæpe eburneam exhibuit, cùm tantùm biberent per ſingula fercula, & manus, quaſi comediſſent, lavarent.* Lipſius l. 2. Saturn. Serm. c. 1. Quæ exhauſta erant pocula, vertebant, more etiamnum Francis uſitato, de quibus jocoſè Taubmannus l. 3. Epigram. Melodæſ.

Laudo meos Francos, qui ſe cervice ſupinant,
Et fundo ex imo præbita pôcla bibunt.

Meurſius ad illud Plauti in Sticho Act. 5. Sc. 4. *vel cadus uerti poteſt: Cadum vertere* veteres pro exinanire dicebant. Virgil. l. 9. Æn. v. 165.

Indulgent vino & vertunt crateras ahenos.

In

In conviviis etiam myrtus adhibita ad cantiones innuendas: erat enim qnaſi ſignum, quô datô cantare tenebatur conviva. Plut. in Sympoſ. *Suam unuſquiſque cantilenam cantabat, cui tradita myrtus fuiſſet.* Aliàs muſicos concentus in conviviis adhibitos eſſe planum eſt. Apud Virgilium in Didonis Epulis l. 1. Æn.

——— *citharâ crinitus Jopas*
Perſonat auratâ.

Hinc & ab Horatio l. 3. Carm. od. XI. Teſtudo dicitur.

Divitum menſis & amica Templis.

Carmina ipſa vocabantur Σκολιὰ i. e. boliqua ſive tortuoſa, quæ quilibet convivarum accepto myrteo ramo canebat. Muſicam ſequebatur *Saltatio*, eaque Græcis maxime in uſu erat, Romanis verò probroſa; unde Cicero: *Nemo ſaltat ſobrius, niſi forte insanit.* Laconum quidem tanta fuit Sobrietas, ut inebriari ſine infamiæ nota ipſis nunquam licuerit. lege etiam cautum, ne quis domum è convivio reverteretur cum lumine. Athenæus præſcribit hunc bibendi modum, ut videlicet tantum vini bibere cuiq; liceat, quantum non impediat domum redire ſine puero, qui

qui præluceat, aut ſine itineris duce. Apud Romanos verò redeuntibus è convivio per pueros, quos vocabant λαμπάδας, lucernæ prælatæ Quod ad numerum convivarum attinet, eum incipere oportet à Gratiarum numero, ut ex Varrone docet Gellius, & progredi ad Muſarum, ut, ſi pauciſſimi convivæ ſint, non pauciores ſint, quam tres; ſi plurimi, non plures, quàm novem. Ipſum autem convivium, ut omnibus numeris abſolutum ſit, ex rebus quatuor conſtabit, ſi belli homunculi collecti ſint, ſi lectus locus, ſi tempus lectum, ſi apparatus non neglectus. Nec loquaces, addit, convivas, nec mutos legere oportet; ſermones etiam id temporis habendi ſunt, non ſuper rebus anxiis & tortuoſis, ſed jucundi, & cum quâdam voluptate utiles: legenda in convivio, quæ ſint βιωφελῆ & delectent, &c.

Acerra, vel *ara*, quæ ante mortuum poni ſolebat, in qua odores incendebantur; vel *arcula Thuramia*, ubi thus reponebatur. Horat. Od. 8. l. 3. Carm.

Martys cælebs quid agam Calendis,
Quid velint flores & acerra Thuris
Plena, miraris, &c.

Acies

Acies. Aciei inſtructio talis erat: Quô die pugna cum hoſtibus erat committenda, ſignum in caſtris proponebatur, nempe tunica purpurea vel coccinea ſupra Prætorium extenſa. Exercitu jamjam educendo, ſigna militaria, quæ in caſtris fixa erant, captatis auguriis evellebantur, quæ ſi avellentem facilè ſequerentur, fauſtum ac felix id habebatur. *Haſtati* pugnã inibant primi omnium, ex ſtataria quidem & gravi acie; alioqui *Velites* aut leves milites ante eos pugnare ſoliti. Haſtati ſi hoſtem profligare non poſſent, ſuccedebant *Principes*, quos & *Antepilanos* vocabant; poſt hos *Triarii*; ſi itaq; *Haſtati* pellerentur, retrocedebant in intervalla Ordinum, & Principes eos excipiebant. In hac ars omnis & arcanum militiæ Romanæ: habere vias inter manipulos, claudere & aperire eas, prout viſum. Acies modò duplex fuit, cum tota acies in duo cornua ſecta, dextrum & lævum; modò triplex, cum præter cornua alia etiam media aſſurrexit. Præterea *Cuneus* dicebatur, acies cuneum repræſentans, literæ Δ aſſimilabatur, & milites appellabant *caput porcinum*. *Orbis*, *Globus*, *Forfices* &c: quæ in modum

modum orbis, glóbi, forficis inſtruebatur. *Serrâ* præliari dicitur, cum aſſiduè accéditur recediturque, neq; ullo conſiſtitur tempore. *Subſidia* dicebantur milites, qui poſt aciem ſubſidebant, ut laboranti excitui ſubvenirent.

Alæ exercitus, dictæ ſunt Equitum ordines, quod circum legiones dextrâ ſiniſtraq; tanquam alæ in avium corporibus, locabantur. Aciei adjuncta erant: 1. *Allocutio*, cum Imperator publicè milites ſuos affabatur: huic in caſtris aut in ipſo campo ſubitò è cæſpite tribunal erigebatur, quod conſcendens ad ſuos verba faciebat Imperator. In hoc alloquio *Approbatio* aut *Improbatio* per ſua ſigna, veteri ritu in aſſenſu militari clamor & dextræ ſublatæ, contrà fremitus ant mœſta taciturnitas. Ita Tacitus de mor, Germ. *Germani*, inquit, *ſi diſplicuiſſet Ducis ſententia, fremitu aſpernabantur, ſin placuiſſet, Frameas concutiebant, honoratiſſimum aſſenſûs genus videbatur, armis laudare.* 2. *Claſſicum*, dicitur, cum ſigna omnia pariter canunt, & militem vocant incitantque ad pugnam. *Claſſicum canere* nihil aliud eſt, quàm bellicum aut incitatorium cane-

re

nere. Variis autem inſtrumentis utebantur: *Tuba* ære directo ducta erat. *Cornua* quæ nunc ſunt ex ære, olim ex cornu bubulo fiebant. *Lituus*, medium quoddam inter tubam & cornu, nec rectum prorſus, ut illa, nec totum incurvum, ut iſtud. *Buccina*, ab his ſejuncta, initiò fuit cornu bovillum, poſtea ex ære facta. Qui inflabant, univerſè *Æneatores* dicti, quia omnia ex ære. Claſſicum excepit 3. *Clamor militaris*, qui edebatur in ipſo jam imminente conflictu: incurſus enim omnis & impetus cum clamore factus; ejus cauſſa hoſtium terror & ſui incitamentum. Probabile eſt, hunc clamorem fuiſſe voces aliquas confuſas repetitas, nec quicquam ſignificantes, ut apud Græcos vox ipſa ἀλαλάζειν. Crebro etiam in acie uſurpatum illud *Feri*, quò ſe mutuò pugnantes adhortabantur. 4. Signum pugnæ *Tunica rufa* in Prætorii faſtigio, quo de ſupra. *Teſſera* ſignum erat, quod ſub ipſa pugna uno alterove verbo dabatur ab Imperatore, ut Commilitones inter ſe nôſſent, & item hoſtē; ut Cæſari bello Africano teſſera fuit *Felicitas*, Bruto *Libertas*. Interfectorun Caligulæ *Repete*: Severi Imper. *Laboremus*, &c:

Actiones. Actiones multiplices sunt. *Actio in rem*, quæ est *Vindicatio*, de qua suo loco. *In personam*, quæ vocatur *Condictio*. Condicere erat diem locumve communi consensu indicere, quo in judicium Litigatores venirent. *Actiones legitimæ*, quæ in Legibus XII. Tabularum proditæ sunt. *Honorariæ*, quæ à Prætoribus in Edictis propositæ, ut legi deficienti opem ferrent. *Actiones bonæ fidei*, in quibus libera potestas permittebatur Judici, ex æquo & bono æstimandi, quantum Actori restitui oporteret. *Arbritrariæ*, quæ ex arbitrio Judicis pendebant, in quibus is, quò cum agebatur, arbitrio Judicis Actori satisfaciebat.

Actus, est pars actæ fabulæ, cum omnibus personis scena deseritur, & interim chorus aut tibicen populum oblectat. *Scena*, pars minor actûs, est mutatio rerum & personarum in actibus. *Chorus* erat multitudo canentium aut saltantium cum tibicine.

Addictio. Post triginta dies, quàm quis debere judicatus fuerat, iterum in jus rapiebatur, & nî judicatum faceret, id est, debitâ pecuniam solveret, à Prætore, nisi Spon-

Sponſorem dediſſet, nexus Creditori addicebatur, à quo abductus in carcerem privatum condebatur, donec aut pecuniâ, aut operâ ſatisfaceret. *Addictus* eſt, quem lex ſervire, donec ſolverit, jubet. *Nexus*, qui opus facit in ſervitute pro pecunia, quem debet, dum ſolvat.

Adonis. Miniſter & Amaſius Veneris, juvenis pulcherrimus. Hunc ipſum cœlo Venerem prætuliſſe fingit Ovid. l. 10. Metam. fab. 10. inquiens:

--- *Cœlo præfertur Adonis.*

Id quod de his commodè dicetur, qui terrena cœleſtibus, æternis caduca, humana divinis anteponunt, quorum larga ubiq; ſeges eſt. *Adoniàis horti* proverbio dicuntur, res amœnæ quidem, at leviculæ & nulli rei utiles.

Adoptio. Is, qui adoptabat, apud Prætorem eum, quem adoptabat, tenens ita dicebat: *Hunc hominẽ filium meum eſſe ajo, iſq; mihi emptus eſt hoc ære.* Naturalis autem Pater uſq; ad tertiam Mancipationem in jure cedebat, prætor addicebat. Confer. *Mancipatio.* Qui autem alterius familiæ fiebat per Adoptionem, in omnia nomina

transibat adoptantis, in Prænomen, Nomen, Cognomen; tantùm ut priscum genus testarentur, in fine cognomen addebant aut nomen; si cognomen, integrum servabant; si nomen, mutatum & inflexum. Exemplum servati cognominis in M. Junio Bruto, quem adoptavit Q. Servilius Cæpio Agalo; post Adoptionem igitur dictus est Q. Servilius Cæpio Agalo Brutus. Exemplum inflexi nominis in C. Octavio, qui post adoptionem dictus C. Julius Cæsar Octavianus. Hæc J. Lipsius.

Ædes sacræ. Ita dicebantur Templa, antequam ab Auguribus inaugurabantur. Si quis enim templum alicui Deo vovisset, voto damnatus primum certos Templi fines constituebat, quod erat *effari templa*, vel *sistere Fana*: deinde ab eo ædes condebantur, conditæ dedicabantur ab iis, qui voverant: tandem ab Auguribus certo ritu inaugurabantur.

Ædiles triplices fuerunt: *Ædiles plebis*, duo ex plebe creati, quasi administri Tribunorum, qui leviores causas cognoscebant & judicabant, ædes etiam sacras & privatas curabant. 2. *Ædiles Curules*, sive *Majores*, qui jus Sellæ habebant, cum priores

priores tantùm in ſubſelliis ſederent: initiò ex Patribus tantùm, poſtea ex plebe etiam creati ſunt ludorum præcipuè cauſſâ. Iidem Templa, Theatra Porticus, Fora ut reſicerentur & ornarentur, curabant. 3. *Ædiles Cereales*, qui Cereri ſeu frumento præerant.

Ædituus. Antiquè *Æditumus*, qui ſacras ædes curat. Horatius & Poëtas *Ædituos* appellat. lib. 2. epiſt. 1.

Ægeria. Nympha cujus ſe conſuetudine uti fingebat Rex à Romulo ſecundus, Numa Pompilius, ut inſtituta ſua ac leges ab aliquo Numine profectas eſſe Romanis perſuaderet.

Æneatores. vid *Aciei adjuncta.*

Ærarium. vid. *Fiſcus.*

Ærarius Civis is dicebatur, qui à Cenſoribus in Cæritum tabulas relatus, eò tantum civis erat, quod unà cum reliquis civibus tributum pendebat, ſuffragii jure privatus.

Æſculapius. Apollinis filius, Medicorum Deus, in cujus templo valetudinis ergò recuperandæ cubabant ægroti, & reſtituti gallum eidem ſacrificabant. Simulacro ejus draco vigil erat additus, quo Me-

dicis vigilantia commendabatur; bacillum nodosum manu tenebat, ad significandam artis Medicæ difficultatem.

Æstimatio litis, erat judicium, quo lis præcipuè in caussa Repetundarum & Peculatûs æstimabatur, & ratione initâ pecunia ei reddebatur, cui erepta erat.

Agger vid. *Machinæ.*

Agones Capitolini vid. *Capitolini Ludi.*

Agones victimarii vid. *Sacrificium.*

Agonia sive *Agonalia*, feriæ nono die Januarii celebratæ in honorem *Agonii*, quem Deum rebus agendis præsidere credebant. Ita etiam dicta videntur hæc sacra quod victimarius hostiam percussurus rogare sit solitus, *Agón?* id est, feriône? nec nisi jussus, hostiam percusserit.

Agyrtæ & Æruscatores, qui monstrum aliquod aut animal antehac non visum ostentabant ad crumenas emungendas, quem morem à Rhodiis usq; ad nos manâsse verosimile est: apud hos enim fuerunt *Coronistæ*, cornicem circumferentes, doctam humana verba eloqui, cui se stipem cogere dicebant, non sibi. Alii frugiperdæ verno tempore, cum hirundo vere loquitur, circumibant canentes: ἔλθ' ἔλθε χαλάδιν, & plenam volam hordei, vel por-

tionem aliquam frumenti emendicabant; hi *Chelidoniſiæ* dicti ſunt, Joſ. Laurent. lib. 1. Polymath: Diſſ. 31.

Ajus Locutius. Cum vox quædam cœlo delapſa Romanos de adventu Gallorum monuiſſet, *Ajo Locutio* Templum aut ara extructa eſt.

Ala vid. *Acies.*

Allienſis dies. Dies XVI. Julii, quo die Romani ad Alliam fluv. à Gallis victi cæſique ſunt, & Urbem amiſerunt.

Ambarvalis hoſtia, quæ maturis frugibus ter circum arva ducebatur ab iis, qui pro frugibus faciebant. In his Sacris Cereris laudes canebant, cúmque vino & lacte libâſſent, eidem porcam immolabant. Sacrificium illud appellabatur *Suovetaurilia*, quia victimas ſuem, ovem, taurũ, ante immolationem circumducebant, neq; ſolùm Ruſtici, ſed & Romani Urbem & fines agri Romani hôc pactô luſtrabant.

Ambitus, crimen eſt honoris malis artibus affectati. Pœna erat vel Exilium, vel mulctæ irrogatio, vel ab omni Magiſtratu remotio.

Amburbia ſacra, quæ fiebant, cum Urbs & pomœrium luſtrabantur.

Amicus. Antiquitatis ſtudioſi notabunt in Amicitiæ albo certas fuiſſe Amicorum claſſes,& primæ ceræ ſeu chariſſimos *Admiſſionis primæ*; Secundæ verò ceræ non æquè charos, *ſecundæ Admiſſionis* eſſe dictos Amicos, & ſic deinceps. Sen. de Benef. l. 6. c. 33. *Non ſunt ipſi Amici, qui agmine magno januam pulſant qui in primas & ſecundas Admiſſiones digeruntur.*

Amphitapa, veſtis utrinque villos habens, quæ dormientibus ſubſternebatur.

Amphitheatrum circulari aut ovali, ut theatrum hemicycli formâ, conſtructum erat, in quo gladiatorii ludi & ferarum venationes exhibebantur. Ejus area *Arena* dicebatur, quod arena ſpargeretur, ut certantes ſine offenſione caderent.

Ampliatio vid. *Urna.*

Ampulla, vas amplum, cujus uſus erat in balneis ad abluendas infuſione ſordes.

Analecta. Quæ in ſolenni lauóq; convivio in terrā decidebant, vocabantur *Analecta* ſeu *Quiſquiliae ciborum*, quas tollere nefas, cum Amicis defunctis atque Heroibus eſſent conſecratæ; unde & peculiare apud Ethnicos ſacrificium fuiſſe legimus, dictum *Protervia*, in quo igne conſume-

mebatur, quidquid ex epulis ſuperfuiſſet; hinc intelligitur elegans ille jocus Catonis apud Macrob. I. 2. Satunr. c. 2. Nam cum quidam, nomine Q. Albidius, ſua bona comediſſet, & noviſſimè domum, quæ ei reliqua erat incendio perdidiſſet, *Proterviam* eum feciſſe Cato dicebat, quod comeſſe non potuerit, id combuſſiſſe.

Anchora vid. *Navis.*

Anclabra vel *Anclabria*, vaſa ænea quibus utebantur Sacerdotes. *Anclabris* menſa divinis miniſteriis apta. Ita dicebantur vel ab *anculare* i. e. miniſtrare, vel ab *antlare* i. e. haurire, unde nonnulli ſcribunt *antlabra.*

Anculi & *Anculæ*. Dii Deæque erant ancillarũ. Priſcis anculare erat miniſtrare.

Andabata vid. *Gladiator.*

Angerona, Silentii Dea; Simulachrum ejus fuit ore obligato & ſignato. In ara Volupiæ collocabant, quòd qui dolores ſuos tacendo diſſimularent, patientiæ beneficio ad maximam voluptatem pervenirent. *Angeronæ litare* dicuntur, qui tacent. Alii ipſam *Volupiam*, ſeu Deam Voluptatis, Angeronam dici putant, eò, quod *anres*

res & animorum ſolicitudines propitiata depellat. Vid. Macrob. l. 1. Sat. c. 10. Alii verò ab *angendo ore*, cum ſit Dea ἐχεμυθία, ut diximus. Sacra huic Deæ à Romanis inſtituta eſſe ferunt, cùm *angina* omne genus animalium conſumeretur.

Animadverſio. Ea mulctæ fuit pœnæve legitima perſecutio, eaq; Prætoriæ curæ mandata eſt. Pecunia per Magiſtratum exigebatur, quod ſi reus ſolvendo non eſſet, bona ejus auctioni ſubjiciebantur, ea qui emebant, *Sectores* vocabantur. Reliquæ pœnæ per Lictores exactæ. Infamium cura Conſoribus commiſſa fuit.

Animadverſio in hoſtes. Integræ regiones devictæ in Provinciæ formam redigebantur, & à Populo Romano, miſſis in eas Præſidibus, regebantur: Quod ſi hoſtes traditis armis deditionem facerent, *ſub jugum mittebantur*, nempe fixis duabus haſtis, ſuper eas ligabatur tertia, ſub qua victos diſcinctos tranſire oportebat, inde liberos eos dimittebant. Qui aut bello capiebantur, vel aliâ quacunq; pœnâ afficiebantur, vel *ſub Corona venibant*. Antiquitùs mancipia jure belli capta, coronis impoſitis vendebantur, & idcircò *ſub coronâ*

ronâ venire dicebantur, quia corona signum erat captivorum venalium.

Anna Perenna Plerisque ea videtur soror fuisse Didonis, quæ ab Ænea hospitio excepta, insidiarum metuens, in Numicium amnem sese præcipitaverit, & diu quæsita ex fluvio responderit:

—placidi sum Nympha *Numici,*
Amne perenne latens Anna perenna vocor.

Festum ejus Idibus Martiis celebrabatur, in quo largioribus vulgò poculis indulgebant, & pro cyathorum, quos ebibebant, numero annos mutuò precabantur. Ovid. in Fast.

Tum ducunt posito duras cratere choreas.
Cultaque diffusis saltat amica comis.
Cum redeunt, titubant & sunt Spectacula vulgi &c.

Annulus (scribunt alii Anulus) nomen habet à voce *Anus*, quæ Circulum significat, notum digitorum gestamen, unde Græcis est Δακτύλιος. Oscorum lingua *Ungulus*, priscis *Condalus*, à Græco κόνδυλος digiti articulus. Interdum & compedes & inaures dicuntur annuli. Plaut. in Pœnulo: *Qui incedunt eum annulatis auribus.* Annuli alii erant è simplice

ce metallo, ut ferro, auro, argento; alii è mixto, cum ferrum aut aliud metallum inaurabant, alii ſolidi; alii caſſi & pervii. Alii ſine gemma, dicti ἄσημοι & ἄψηφοι, alii cum gemma, quibus imago erat inſculpta. Annuli utrâq; manu geſtabantur antiquitùs, potiſſimùm levâ, quia & otioſior ea eſt, & plurimùm latet; cum enim in propatulo annulos geſtare initiò inſolens videretur, ſiniſtram manum, ut ſæpius latentem, his induere placuit. Vid. Macrobius & Plinius. Præcipuè digitus minimo proximus annulo ornabatur, ob id dictus Annularis, aliàs Medicinalis, quia hic utrinq; clauſus & minus negotioſus eſt; Medius verò, vulgi opinione infamis & impudicus, eo ornatu carebat. Annulus Signatorius, ſive Sigillaritius, quô ſignabantur Teſtamenta, Tabulæ dotales, epiſtolæ, etiam penus; unde apud Plaut. in Perſa: *homines triparci ſalinum ſervo cum ſale obſignare* dicuntur. Ferreorum annulorum uſus apud Romanos antiquiſſimus fuit: primis enim temporibus ne Senatori quidem licebat geſtare annulum aureum, niſi Legatus ad exteras gentes iret: tum enim è publico dabatur, quem

quem geſtaret, annulus. Apud Germanos, Majores noſtros, fortiſſimus quiſq; ferreum annulum (ignominioſum huic genti) velut vinculum geſtabat, donec ſe cæde hoſtis abſolveret; Tacitus in lib. de Mor. Germ. Triumphantes annulum ferreum geſtabant ad retundendam arrogantiam, hinc Equites annulum uſurpabant; & is peculiare erat ornamentum Equitum, quo à plebe diſtinguebantur. Plebs argenteo videtur annulo uſa, ſerviferreo, niſi Magiſtratus è plebe nonnullis jus aureorum annulorum conceſſiſſet: Geſtabat autem aureum annulum Eques, qui Cenſum Equeſtrem, i. e. quadringenta ſeſtertiûm habebat. Re decoctâ aut cenſu imminuto idem annulum deponebat. Clericis olim, niſi in dignitate eſſent conſtituti, (Epiſcopatus enim & Abbatias per baculum & annulum tradi notum eſt) annulos geſtare non licebat; unde natum eſt trium illud: *Clericus annulatus aut eſt fatuus aut Prælatus.* Quanquam verò unô plures initiò annulos geſtare infame habitum viro, creſcente tamen luxu, annulorum crevit numerus. Martialis:

Per cujus digitos currit levis annulus omnes,

nes. Imò Heliogabalus Imp. neq; calceum iterâsse, neq; annulum legitur. *HÆC ET PLURA SCITU DIGNA JOH. KIRCHMANNUS IN ELEGANTI LIB. DE ANNULIS.*

Annus. Annus Romanis fuit *triplex*: 1. *Romuli*, dierum 304. menses habuit decem. *Numæ*, dierum 354. menses habuit duodecim. *Julii Cæsaris.* dierum 365. & sex horarum, cui totidem erant menses.

Anser vid. *canis.*

Antecessor vid. *Jureconsultus.*

Apex vid. *Flamen.*

Apollo, Jovis & Latonæ filius. Theognis,

——Ἄνα, λητοῦς υἱὲ, Διὸς τέκος.

Alio nomine *Phœbus*, dictus â splendore aut vaticinio, *jaculator*, *citharœdus*, *Medicus*, *Vates* & *Musarum Præses. Laurus* huic sacra: Virgil. Ecl. 7.

Populus Alcidæ gratissima, vitis Jaccho,
Formosæ myrtꝰ Veneri, sua laurea Phœbo;

Quia Daphne, quam adamaverat, in laurum conversa: Phœbus ipse apud Ovid. l. 1. Met. fab. 9. vers. 557.

— At quoniam conjux mea non potes esse,
Arbor eris certè, dixit, mea; sẽper habebunt
Te coma, te citharæ, te nostræ, Laure, pharetræ.

Unde

Unde & Poëtæ *lauro* coronantur. Horat. de Pindaro, l. 4. Carm. Od. 2.

Laurea donandus Apollinari.

Quanquam & aliam hujus rei rationem Poëta reddidit, inquiens:

Laurus in igne crepat, vivunt poſt funera Vates.

Juvenis imberbis & intonſus pingebatur: Horat. od. 21. lib. 1.

Intonſum, pueri, dicite Cynthium.

Græcis ob eam rem eſt ἀπὸ τῆς κόμης. *Pythius* dictus eſt, quia ſerpentem mirè nocentem, Pythona, telis ſuis interfecit.

Neve operis famam poſſet delere vetuſtas;
Inſtituit ſacros celebri certamine ludos,
Pythia perdomitæ ſerpentis nomine dictos,

Ovid l. 1. Metam. fab. 8. verſ. 445. *Delius*, quia in Delo, inſula maris Ægei, natus eſt quam ob id *natalem Apollinis* dicit. Horat. od. 21. l. 1. *Cynthius*, à monte hujus inſulæ. *Palatinus*, à Templo, quod Auguſtus, navali prælio victor, Antonio profligato, in palatio ſtruxit: in eo Templo Bibliotheca erat latina & græca; hinc intelligitur illud Horatii l. 1. Epiſt. 3.

Quid mihi Celſus agit? monitus multumq; monendus,

Privatas

Privatas ut quærat opes, & tangere vitet
Scripta, Palatinus quæcunq; recepit Apollo.

Sandaliarius, fortaſſis ab effœminato cultu, quod ſcilicet ſandaliis, calceis muliebribus, eſſet indutus. Oraculum ejus Delphis, toto olim orbe celeberrimum, fuit Regum & Populorum donariis egregiè dotatum, quod unâ cum cœteris oraculis Chriſto adventante obmutuit. Aurel. Prudent in Apotheoſi:

—— *Ex quo hominis Deus induit artus,*
Delphica damnatis tacuerunt ſortibus antra,
Non tripodes cortina tegit, non ſpumat anhelus.
Fata Sibyllinis Fanaticus edita libris.
Perdidit inſanos mendax Dodona vapores,
Nec reſponſa refert Libycis in ſyrtibus Ammon.

Idem affirmat Juven. Sat. 6. verſ. 554. cnm ait:

—— *Delphis oracula ceſſant.*

Ad quæ verba E. Lubinus: *Chriſtus adventu ſuo Dæmones profligavit, & omnibus oraculis Dæmonum illud ſolemne apud Evangeliſtas Marc.* 1. *& Luc.* 4. φιμώθητι, *obmutesce, & æternum ſilentium impoſuit.*

Apolli-

Apollinares ludi, in honorem Apollinis, victoriæ, non valetudinis ergò, à Romanis instituti, Marci Vatis & Sibyllæ carmine monitis. In his decem viri sacra Apollini, Græco ritu, faciebant, bove aurato, & capris duabus albis auratis; Latonæ bove fœminâ auratâ; populus coronatus spectabat, & stipem, quantum commodum esset, conferebat, Matronæ supplicabant, & vulgus apertis januis in propatulo epulabatur. *Parasiti Apollinis* sic dicti, quòd ridiculi essent, frequenter acclamabant: *Salva res est, cum saltat senex.* Vel: *omnia secunda, saltat senex.* Cùm enim aliquando in his ludis, nuntiatò hostium adventu, Romani, subitò ad pugnam exiissent, victoresq; rediissent in theatrum, de violatis & denuò instaurandis sacris solliciti, Mimum magnò natu ad tibicinem saltantem invenerunt. Quare læti cognoverunt Religionem non esse interruptam. Servius autem ait, cum iracundiâ Matris Deûm Romani laborarent, quidam senex statutis ludis Circensibus saltavit, quæ sola fuit causa placationis; unde & natum proverbium: *Omnia secunda, saltat senex.*

Apophoreta. Hæc erant munuscula, quæ

Amici Amicis in Saturnalibus miſſitabant, qualia apud nos munera ſunt *ſtrenæ*, Aliàs etiam *Apophoreta* ſunt, quæ in conviviis dantur auferenda. Erant & Apophoreta lanx plana, à ferendis pomis aut aliis munuſculis ſic nominata. Lipſius lib. 1. Saturn. Serm. c. 16.

Apparitor. Apparitores erant ſtipatores & miniſtri Magiſtratuum, quorum imperio præſtò ſemper erant; ut Præcones, Interpretes, Accenſi, &c. quæ munera libertis ferè ſuis Magiſtratus quiſq; more Majorum mandabat.

Aprilis, menſis, vel ἀπὸ τῆ ἀφροδίτης à Venere dictus, vel ab *aperiendo*, quòd terras & maria, hyeme quaſi clauſa, recludat & aperiat.

Aquæ ductus, aquarum deductio: Creſcente enim urbe & aquarum penuriâ laborante, aquæ in urbem derivatæ ſunt, aut per ſubterraneos cuniculos, aut opere arcuato.

Aqua luſtralis. Hæc debebat eſſe perennis & limpida, non ſtagnans aut turbida. Sacrabatur autem hoc modo: Erat ad fores Templi *Aquiminale* quoddã magnum, quales ferè tinctorum cortinæ, *labrum* a-

lii

lii appellant, in quod mergebant titionem ardentem ab arâ sumptum, quando victima adolebat, & eâ aquâ templum ingredientes sese aspergebant ipsi, aut à sacrificulis aspergebantur. Etiam in ædibus funestis vas magnum ad fores statuebatur aquâ lustrali plenum, quâ aquâ se quisque exiens aspergebat, qui ad exequias venerat. Erat quoq; duplex lavatio sive purificatio, altera ad manus pertinebat, & vocabatur χέρνιψ, altera ad totum corpus, quæ erat περίῤῥαντος. Joseph. Laurent. l. 2. Polymath. Dissert. 18.

Aquila. vid. *Signum.*

Aquilex, qui aquam explorat, an facilè ex hoc aut illo fonte aliò derivari possit. Aquileges legimus & *Aquilices*, ab aqua elicienda sic dictos.

Aquiminarium, sive *Amula*, vas lustrale deportandæ aquæ, Religionis expiationisque ergò deputatum

Ara. Ea vel ab *ardendo* dicta, quod in ea victimæ incensæ ardeant, vel ab *ansis*, quas necessarium erat à precantibus & sacrificantibus teneri. Erant autem *Aræ* Diis superis & inferis consecratæ *Altaria* superis tantùm, ab altitudine sic appellata.

Areera, plauſtri genus, undiq; tectum & munitum, quaſi arca quædam magna veſtimentis inſtrata: quo vehiculi genere & ſenes & ægroti cubantes vectabantur. Vid: Gel. l. 20. c. 1.

Archimimus. vid. *Mimus.*

Arcus triumphalis, Virtutis honoríſq; cauſâ arcus triumphales erigebantur iis qui externis gentibus domitis victorias patriæ pepererant. Hi primũ rudes & ſimplices fuerunt, poſteà victoriarum monumenta & Triumphorum pompa iis inciſa. Forma Arcuum primùm erat ſemicircularis, unde & nomen fornicis accepit, poſtea quadrata, ita ut in medio ampla eſſet porta fornicata, in cujus medio Victoriæ alatæ pendebant, quæ demiſſæ Victori tranſeunti coronam imponebant. In ſuperiore Arcus parte ſtabant, qui tubis canebant.

Area, aliàs locũ, ubi frumẽta ſecta teruntur, ab hujus ſimilitudine loca in urbe *pura* i. e. non conſtructa, Areæ appellantur.

Arena. vid. *Amphitheatrum.*

Argei Loca ſacris faciendis à Numa dedicata, quod in illis fortè ſepulti eſſent quidam Argivorum illuſtres viri. *Argei* etiam

tiam ſcirpea virorum ſimulachra, quæ quotannis Idibus Maji virgo Veſtalis de Ponte Sublicio in Tiberim præcipitabat. Ratio hujus ritus affertur triplex: vel, quod antiquitùs barbari, iſta loca incolentes, hoc modo interfecerint, ſi quos Græcorum cepiſſent; Hercules autem, cujus virtutem admirabantur, docuit eos, more interficiendi Græcos dimiſſo, ſimulachris ſaltem eum repræſentare: vel cùm Arcadibus Argivi ob viciniam inviſi eſſent, Evander Arcas, è Græcia profugus, cum in iſtis conſediſſet locis, hoc ritu iſtam odii & inimicitiarum memoriam conſervavit: vel, cum Hercules in Italiam ſecum quam plurimos adduxit Græcos, multi in illis locis conſederunt, quorum nonnulli patriæ more ſe mortuos in Tiberim ab hærede mitti voluerunt, Argivam terram repetituri; quod dum hæredi diſplicet,

Scirpea pro Domino in Tiberim jactatur imago,
Ut repetat Grajas per freta longa domos.

Aries. vid. *Tormenta.*

Arma. Ea duplicia, ad petendum, quæ *Tela*; ad tegendum, quæ propriè *Arma* vocabantur,

Armilustrium dictum, cum exercitus in campo Martio lustrabatur, instructus sue, vel hirco, & ove & tauro. Milites ipsi lauro coronati rem divinam sub dio faciebant; victimæ jam dictæ ter circum acies instructas, præcedēte pompâ, ducebantur, Martíq; immolabantur. Cuilibet passim pro lubitu arma portare non licebat; unde M. Antonius gladio accinctus, cum multitudine stipantium ipsum militum visus, suspicioni fuit Romanis, Monarchiam ambire; sed iis tantū, quibus militari obstrictis juramento potestas erat gestandi gladium, quod *jus Gladiatorium* nominabatur. Apud Græcos, ut refert Lucianus de Gymnasiis, mulctâ cautum est, ne quis in urbe, cum nihil necesse sit, arma gestet, aut armatus procedat in publicum. Barbari tantùm, milites, latrones, sicarii armati incedebant; Si qui alii arma gestarent, vel infamiâ notabantur, vel factiosi habebantur. Notabis hîc, *LATRONES* primùm dictos esse milites mercenarios. Festus li. 10. *Latrones*, inquit, *eos antiqui dicebant, qui conducti militabant* λατρεύοντες, i.e. servientes. Alibi idem *stipatores* ait, corporis custodes, quos Antiqui latrones vocabant;

cabant: ſtipati enim ferro circundant corpora Regum. Ita videntur dicti à *latere*, quod eſſent circum latera Regum Alii ſunt, de quibus Horat. l. 1. epiſt. 2.

Ut jugulent homines ſurgunt de nocte latrones.

Armatura levis Velitum erat, quorum arma gladius, haſta, parma, galea: *Gravis* Haſtatorum, nempe ſcutum, gladius, pilum, galea, lorica, ocrea. Eadem arma Principibus & Triariis fuerunt, niſi quod Triarii pro pilis haſtas ferrent.

Arvales Fratres, ſive *Sodales*, dicti ſunt, qui ſacra publica fecerunt, ut copioſas arva fruges ferrent; iidē, ut nonnulli volunt; de motis etiam terminis judicârunt.

Aſperſorium ſive *Aſpergillum*, inſtrumentum, quo aquam luſtralem aſpergebant.

Auctor Legis. vid. *Comitia Centuriata.*

Auctoritas. vid. *SCtum.*

Aventinus, mons Romæ ſeptricollis ab *Aventino Rege* hîc ſepulto dictus. Idem *collis Dianæ*, cujus in eo Templū, appellatus. In eodem Remi ſepulchrum viſebatur.

Averruncus, Deus, qui avertere mala credebatur; unde priſcis *averruncare* idem eſt, quod averte. e. Dii Averrunci a Græ-

cis dicti ſunt ἀποτρόπαιοι, talis & Hercules ille, cognomine dictus ἀλεξίκακος.

Augur, *Augurium*, Augur, interpres auguriorum, qui ex avium geſtu ac volatu futura divinat. Initiò tres, pòſt novē, tandem quindecim Romæ fuerunt Augures. Cœtus Augurum *Collegiū* appellabatur, & major inter eos ætate *Magiſter Collegii*. Augurium quaſi *avigerium* dicitur, quod aves gerunt; & in genere *quodvis omen* eſt. Auguria varia erant, alia *Proſpera*, quæ ex Augurum diſciplina cenſebantur annuere, & lætos ſpondere ſucceſſus; alia *Infauſta*; *Adverſa*, *Piacularia*, quæ abnuere & propoſito adverſari videbantur; alia *Oblativa*, quæ non poſcebantur; alia *Impetrativa*, quæ optatò veniebant. Auſpicia captabat Augur ex arce, cœlo non turbido, *Lituum*, id eſt, baculum incurvum ſine nodo, manu tenens. *Lituus*, inquit, Cic. l. 1. de Divinat. *eſt incurvum & leviter à ſummo inflexum bacillum, quod ab ejus litui, quo canitur, ſimilitudine nomen invenit, clariſſimum inſigne Auguratus*. Hoc lituo cœli regiones deſignabat, intra quas erit ſigna obſervaturus; eaq; ſpacia *Templa* dicebantur. Cæſâ victimâ & fuſis

pre-

precibus, velato capite & duplici togâ amictus conſidebat Augur, & defixis in cœlum oculis expectabat, nunquid alicunde ſe oſtenderet. Auſpiciorum quinq; erant genera: 1. è *cœlo* naſcebatur, quò *fulmina* ſpectabant & *tonitrua*. Si *lævum* intonuiſſet, proſperi eventus nuntiari putabantur: nam lævum, cum de humanis rebus dicitur, infauſtum; cum de cœleſtibus, proſperum videtur, quia ſiniſtra Numinum ſunt dextra intuentibus, ut ait Servius in illud Virgil. 2. Æn.

— *Si mens non læva fuiſſet.*

Si autem ſerena tempeſtate tonuiſſet, aut homines, ædes, arboréſve eſſent tactæ, infauſti id ominis eſſe credebatur. Virgil. Ecl. 1.

Sæpe malum hoc nobis (ſi mens non læva fuiſſet.)

De cœlo tactas memini prædicere quercus.

Ideóq; Horatius, — cum *Dieſpiter igni coruſco nubila dividens per purum tonantes egiſſet equos.* Od. 34. l. 1. Carm. prodigio hoc territus, inſanientem Epicureorum Sapientiam reliquit. Ex eadem opinione eſt & illud Virgil. l. 1. Georgic. verſ. 487.

Non

Non aliàs cælo cecidêrunt plura ſereno
Fulgura, nec diri toties arsêre cometæ.

Ex *ventis* etiam captata auguria: Ventos enim Deorum eſſe nuntios ſinxêre, & vota preceſque hominum ad Deos deferre. Virgil. Ecl. 3.

Partem aliquam venti Divûm referatis ad aures.

Quæ autem vota irrita cadebant, ea à ventis ad Deos non eſſe perlata credebant. Iterum Maro l. 9. Æneid.

Multa Patri Portanda dabat mandata, ſed auræ
Omnia diſcerpunt, & nubibus irrita donāt.

Quare etiam quicquid averſabantur & evenire nolebant, à ventis differri diſſipariq; orabant 2. *ex avibus* 3. *ex pullis* 4. *ex quadrupedibus* 5. *ex diris.* quarum nomine complectebantur ea, quæ in ſuis ipſorum corporibus fiebant, aut quæ in agro, domo, itinere inſolita objiciebantur. u. g. *Hirundinum conſpectus & conſeſſus* habebatur infauſtus; *gallinæ cantus* dirum aliquid portendebat; ſi bos loqueretur, quod Plinius ait ſæpius eſſe factum, urbs luſtrabatur, & Senatus ſub dio habebatur; *lepus fœta vulpes, praegnans canis,* iter dirimebant;

bant; si quid à muribus esset arrosum, si cibus prolaberetur, aut repentè convivium conticesceret, inauspicatissimum erat, si tigna gemuissent, mensæ crepuissent, dira portendebantur: si oculus palpitaret, pedes prurirent, aures tinnirent, mali erat ominis. O insanias! Avium aliæ erant *Oscines*, quæ ore canentes faciebant auspicium. Aliæ *Præpetes*, quæ secundo volatu ante eum, qui auspicabatur, volabant: & aliæ, si superiora tenerent, *Præpetes*; si inferiora, *Inferæ* dicebantur. *Sinistræ*, quæ sinebant aliquid fieri. *Funebres*, quæ impediebant. *Arculæ*, quæ arcebant ant vetabant aliquid fieri. Eædem *Remoræ* & *Inebræ* vel *Enebræ*, à remorando & inhibendo dictæ. *Alteræ* aves, cum aliæ superveniebant, quæ felici auspicio vitium faciebant. *Volsgræ*, quæ se vellendo malum auspicium faciebant. *Supervacaneæ*, quæ ex summo cacumine vocem emittebant. Eleganter Horatius de auspiciis, quæ mali quid portendere superstitiosa credidit Antiquitas, l. 3. od. 27.

Impios parræ recinentis omen
Ducat, & prægnans canis, aut ab agro
Rava decurrens lupa Lanuvino,
Fœtaque vulpes, Rumpat

Rumpat & ſerpens iter inſtitutum &c:

Auguſtus. Id nominis datum eſt Octavio, Succeſſori Cæſaris. Cum enim Senatus Populuſq; Romanus eum ſingulari quodam honore ac nomine ornare vellent, nonnulli ipſum *Romulum*, tanquam alterum Urbis Conditorem, appellârunt, qui, ut gloriari ſolitus eſt, *Urbem latericiam invenit, marmoream reliquit.* Aliis, & in his Manutio Planco, placuit, ut novo & ampliore cognomine *Auguſtus* vocaretur, quòd loca religioſa, & in quibus auguratò aliquid conſecratur, quæque maximo honore digna cenſentur, *Auguſta*, ab auctu, vel avium geſtu guſtuve, dicantur.

Auguſtus. Menſis, anteà *Sextilis*, quod à primo menſe Martio ſextus eſſet. *Auguſtus* in honorem Auguſti appellatus eſt, qui inſigniores eo menſe res geſſit.

Aulæum. vid. *Accumbendi ritus.*

Aurigatio. vid. *Gymnici ludi.*

Aurum coronarium. vid. *Corona.*

Auſpicium. vid. *Augur.*

Auxilia. Exercitus Romanus in duas partes diviſus fuit, in *Legiones* & *Auxilia*. *Auxilia* dicebantur milites, qui à Sociis & Fœderatis gentibus mittebãtur; & hi deteriori jure erant, quã *Legionarii* milites:

B.

Bacchus ſive *Liber Pater*, vitium inventor, vini Deus, Jovis & Semeles filius. *Bacchus* dictus ἀπὸ τῆς βακχείας ab incondito ululatu bacchantium; *Liber* ac *Lyæus*, quòd ſolvat ac liberet à curis; *Dionyſius*, quia ἀπὸ τοῦ Διὸς à Jove genitus, in *Nyſæ* antro vel monte educatus fertur. Effingebatur *nudus*, quia

Arcanum demens detegit Ebrietas.

Puer imberbis, quia ebrii puerili ritu ineptiunt, niſi planè delirent: *Hilari fronte*, vino enim ſumpto fugiunt curæ, rugáque frontis abit: *cum corniculis*, ob vinolentorum ſtoliditatem, elationem & temeritatem: qui enim ſeſe efferunt aut iras ſpirant, *cornua* dicuntur *tollere*. Alumnus ejus *Silenus*. Comites *Satyri*, Dii ſylveſtres & impuri. Imago alias Bacchi talis fuiſſe ſcribitur: pectus nudum, muliebre, caput cornutum vitibúſque coronatum, ipſe tigridi inequitans, manu dextrâ racemum prætendebat, ſiniſtrâ poculum, quod è cornu bovis. Vid. Dempſter. in Paralipom. ad c. 9. l. 1. Roſin. Natal. Com. l. 5. Mythol. cap. 13.

Bacchanalia, nocturna ſacra, in honorem Bacchi

Bacchi inſtituta, omnis laſciviæ & libidinis ſeminaria. Eadē *Orgia* dicta ἀπὸ τῆς ὀργῆς, à furore, quia mulieres furore correptæ eadem peragebant. Etiam *Trieterica*, quod tertio quoque anno majori ſolemnitate celebrarentur. Ovid. l. 6. Metam. fab. 8.

Tempus erat quo ſacra ſolent Trieterica Bacchi
Sithoniæ celebrare nurus.

Apud Livium graviſſima extat Oratio Catonis, quâ autor eſt Senatui populoq; Romano, ut fœdiſſimos Bacchanalium ritus funditùs tollat, & extirpet radicitùs.

Balliſta vid. *Tormentum.*

Balneum ſive *Balineum*, ἀπὸ τῆς βαλάνου à glandibus, quæ in balneis olim ſuccendebantur. Auctores fere *Balnea* ſiue *Balneas* de publicis uſurpant ædificiis. *Balneum* locus eſt in ædibus noſtris privatus. *Balneæ* erant bina ædificia conjuncta, alterū ubi viri, alterum ubi mulieres lavabantur. In balneis erant tria quaſi Cœnacula *Sūmum* plenum erat aëris calidi, *Laconicum* dictum; in *Medio* cœnaculo erant aquæ calidæ; in *Imo* frigidæ. Balneis frequenter uſi ſunt Romani ante cœnam, poſt ambulationes aut exercitationes, ſæpè neceſſitatis, non

non rarò voluptatis cauſſa. Cõmodus Imp. in die octies laviſſe legitur. De Balneis ita diſſerit Joſeph. Laurent. lib. 1. Polymath. Differt. 38. Partes Balneorum *quinq*; 1. Pars erat conclave, ubi aër calidior, in quo veſtes ponebantur, hinc dictum *Apodyteriũ* ſeu *Spoliatorium*. 2 Pars teſtudinis inſtar conſtructa, aërem calidum igne accenſo ſine fumo continens, dicta ὑποκαυστον ſive *Sudatorium* 3. Pars cella caldaria, quæ *lauacrum* dicta, in ea homines conſidentes lavabantur, unde *labrum*, quaſi *lavabrum* dictum 4. Pars erat frigidarium, ſeu frigidaria cella, ubi aqua frigida, piſcina 5. Ubi ſudor detergebatur, ungebaturq; corpus, dicta *Deterſorium* ἀλειπτήριον Tria *vaſa* ad lavandum, *Calidarium*, ubi calida aqua, *Tepidarium*, ubi tepida, *Frigidarium*, ubi frigida. *Utenſilia* Balneorum 1. *Solium* ſeu *Labrum* è ligno aut marmore, in quo reſidẽtes lavabantur 2. *Guttus*, vas guttatim oleum fundens 3. *Strigilis*, à ſtringendo, inſtrumentum, quo utebantur ad ſudorem corporis & ſordes abradendas 4. *Lintea*, *Sudariáve*, quibus corpora detergebantur. Præterea erant *Pilicrepi* pilos avellentes. *Aliptæ*, ungentes. His balneis

balneis usi Romani partim sanitatis, partim munditiæ, partim etiam voluptatis gratia; inprimis convivas lecimus seu hospites in convivatoris ædibus, à quo invitati & accepti fuerant, lavari atque ungi solitos, balneis à convivatore paulò ante convivium paratis. *Balneatoribus*, balneorum Præsidibus, *quadrans* pretium vulgò persolutum.

Balteus. vid. *Gladius.*

Basilicæ, ampliſſima & ornatiſſima erant ædificia, in quibus nō Senatores modò deliberare, sed etiam Judices omnis generis causas cognoscere, & Clientibus homines periti de jure respondere solebant; quando autem vacabant, Mercatores in iisdem & nummularii sua tractabāt negotia. Vid. & *Templū*. Lites privatæ, quæ ad Centumviros pertinebant, sub tecto in Basilica concertabantur. Publica judicia in Comitio ad rostra, aut in area fori nuda, & sub dio habebantur; unde privatæ lites à nonnullis *Basilicanæ*, publicæ *Subdiales* & *Hypæthriæ* appellantur. Franciſc. Polletus in Hiſt. Fori Rom. l. 1. c. 2. *Basilicæ* primum dictæ sunt *Regum habitacula*, deinde cœperunt etiam *Templa* dici Basilicæ, vel propter

propter regiam ſtructuræ magnificentiã, vel quia Deo, Regi Regum, ibi cultus exhibetur. Latiore ſignificatione ad Regiarum ſimilitudinem etiam alia loca ampla & ſpatioſa publicis uſibus deſtinata, ſunt dicta *Baſilicæ*. Aliàs *Baſilicum* apud Plautum eſt, quicquid ſplendidum, magnificum & imperioſum eſt, ut *homo baſilicus* eſt, à quo nihil auferas, niſi per interpretem & ſupplici habitu. Matth. Martin. in Lex. Philolog.

Baſſaris, Bacchi Sacerdos, alio nomine *Baccha* dicta, & *Thyas*, & *Mænas*, à clamore, furore, inſania, quia pulſu tympani exaudito, furore concitata amentis inſtar diſcurrebat. Horat. od. 15. l. 3.

Pulſo Thyas uti concita tympano.

Baſſaris eadem dicta vel à veſtis talaris genere, quâ Bacchus uſus eſſe dicitur, vel à vulpium pellibus, quibus Bacchæ ſuccingebantur: vulpes enim Thraces *Baſſares* dicunt, ipſe & Bacchus dictus *Baſſareus*. Horat. Od. 18. l. 1. *non ego te, candide Baſſareu, invitum quatiam?* Sunt qui *Baſſaras* calceos fuiſſe ajunt, quibus uſæ ſint mulieres bacchantes. Vid. Lambin. Comment. in Od. 18. l. 1. & 25. lib. 3.

Bellaria. vid. *Cœna.*

Bellona, aut ſoror, aut uxor Martis, cui currum & equos parare dicebatur; bellica Dea, hanc proprio ſanguine placabant. Ante ædem Bellonæ *Columella* erat *Bellica*, ſuper quam *haſtam* Fecialis jaciebat, bellum inducturus. Ovid. l. 6. Faſt.

Proſpicit à tergo ſummam brevis area circum,
Eſt ubi non parvæ parva columna notæ.
Hinc ſolet haſta manu belli prænuntia mitti,
In Regem & gentes cum placet arma capi,

Haſta hæc ſanguine erat infecta & ab ea Bellona ipſa *Haſtata* dicebatur. Stat. l. 2. Thebaid.

Nec minus ardentes Mavors haſtatáque pugnæ
Impulerit Bellona tubas.

Idem lib. 6.

—— regit atra jugales
Sanguineâ Bellona manu.

Depingebatur comâ ſparſâ, armata face Sil. Ital. l. 5. Punic.

Ipſa facem quatiens ac flammam, ſanguine multo
Sparſa comam, medias acies Bellona pererrat.

Unâ

Unâ manu falcem prætendebat. Claudian. l. 2. in Eutrop.

— — Quid dudum inflare moraris
Tartaream Bellona tubam? quid stringere falcem,
Qua populos à stirpe metis?

Alterâ manu clypeum gerebat. Idem de 4. Honor. Consulat.

Jam trabeam Bellona gerit, parmámque removit
Et galeam.

Sacerdotes ejus *Bellonarii* dicti, qui insanientium ritu, gladios per lacertos exercentes, suo cruore sacrificabant. Martial. l. 12. Epigr.

Nec turba cesset entheata Bellonæ.

Hi Bellonarii furore correpti, stragem populorum & eversiones Urbium vaticinabantur, iisque maxima fides habebatur. Th. Dempster. Paralip. ad cap. X. l. 4. Antiq. Rom. Ros.

Bona Dea, fortasse eadē, quæ Ops & Tellus: à cujus sacris viri arcebantur. Hujus Deæ sacra Clodius polluit, dum pudicitiæ Pompejæ, uxoris Cæsaris, insidiatus, muliebri indutus habitu mattonis se miscuit. Scholiast. Juvenal. ad v. 335. Sat. 6. de Psal-

tria, id eſt, de Clodio, dicit, qui templum *Bonæ Deæ* ingreſſus, habitu Pſaltriæ adulterium commiſit. Hanc eandem alii & *Faunam* & *Fatuam* dicunt *Fauni uxorẽ*, quanquam Cicero in Orat. de Aruſp. reſp. ejus ne nomen quidem ſcire fas eſſe ait. De ſacris ejus Tibull. l. 1. Eleg. 6.

Sacra Bonæ maribus non adeunda Deæ.

Templum ei fuit in Aventino monte. Ovi. l. 5. Faſt.

Templa Patres illic, oculos exoſa viriles,
Leniter acclivi conſtituere jugo.

Bonus Eventus, à Romanis itidem cultus, & Templo donatus eſt.

Bracca. Veſtis quoddam genus, quo frigidioris cœli gentes utebantur. Ovidius.

Pellibus & laxis arcent mala frigora braccis,
Oráque ſunt longis horrida tecta comis.

Tacito dicitur *tegmen barbarum.* Ab his braccis pars Galliæ Tranſalpinæ dicta *Braccata*, à principe civitate Narbonenſis Provinciæ.

Bubona Dea, quæ bobus. præerat.

Buccina. vid. *Aciei adjuncta.*

Bucculæ. vid. *Galea.*

Buſtum. vid. *Pyra*

Buſtuarii. vid. *Gladiatores.*

C.

C.

CAca, Caci latronis illius infamis ſoror, quæ furtum Fratris indicavit Herculi, eâque re ſacellum meruit. Cacus iſte Vulcani filius, informe monſtrum, flammas evomens; Herculi ex Hiſpania redeunti boves furto ablatas noctu caudâ in antrùm ſuum attraxerat, quo furto aperto, Hercules in antrum Caci irruit, ipſumque clavá ictum & occiſum pedibus forâs protraxit. Virgil. l. 8. Æn.

——*pedibuſque informe cadaver*
Protrahitur.

Juvenal. Sat. 5.

Duceris plantâ, velut ictus ab Hercule
Cacus.

Caduceum, virga Mercurii, quam duo dracones amplectebantur; eâ diſſidia tollere, ſomnum inducere, animas corporibus educere Mercurius credebatur. Unde *Caduceator* pacis nuntius, & proverbio dicitur: *Haſta Caduceum*, ſi quis ſimul & minetur, & ad concordiam invitet.

Cælius, olim *Querquetulanus*, mons Romæ ſic dictus, à Cœlo, Duce quodam Thuſco, qui manu ſua Romulo contra Sabinos venit auxilio.

Cæsar. Cæsares dicti sunt Impp. Romani, à C. Julio Cæsare, cujus progenies in Nerone defecit; posteà Imperatorum liberi, qui in spem imperii alebantur: cum ipsi Imperatores ab Augusto *Augusti* appellarentur. Buleng. l. 1. de Imper. c. 4.

Cæsicium, linteolum purum & candidum, à cædendo, quòd ita ad candorem perveniat, vel quòd oras circumcisas habeat.

Cæstus, genus clavæ, pilas plumbeas loris bubulis appensas habens. *Cestus* autem pictum cingulum erat Veneris aut Virginis. *Cestum Veneris* habere dicitur, qui quemlibet in amorem sui pellicit. De *Cestu* suo ipsa Venus lib. 14. Iliad.

Ἐν δ' ἔνι μὲν φιλότης, ἐν δ' ἵμερος, ἐν δ' ὀαριστὺς,
Πάρφασις, ἥ τ', ἔκλεψε νόον πύκα περ φρονέοντων.

Cajus, Caja. vid. *Nuptiæ.*

Calantica, tegmen muliebre, quod capiti accommodabatur.

Calceus. Calceamentorum duo fuerunt genera, *Calceus* & *Solea.* Calceus totum pedem texit, *Solea* plantam tantùm. Calcei vel *Mulleoli*, vel *Puri. Puri*, qui ex puro corio sine lunulis facti erant, qui & *Perones* appellabantur. *Mulleoli* sive *Lunulati*, quibus

quibus Lunæ erat insigne additum;& hæc nota erat centenarii numeri, quòd initio centum Patricii fuerint. *Mulleolos* gestabant Senatores & nobilitate præstantes viri; unde *calceos mutare* dicuntur, qui ad altiorem dignitatir gradum ascendunt. Initio quidem nascentis Reip. non servi modò, sed & Senatores nudis incessêre pedibus; ita & Cato Uticensis, referente Plutarcho in ejus vita, discalceatus sæpe incessit. Erant & *Nudipedalia*, Festum, in quo nudis pedibus omnes oportebat incedere. Principum calceamenta *aquilis* distinguebantur, ut Senatorum *lunulis*. Erant & *Calcei Sacri*, quibus Sacerdotes, rem divinam facturi, utebantur, & hi de pecudibus sua sponte mortuis non fiebant. Matronarum calcei *Sicyonii* dicti sunt. Cic. lib. 1. de Orat. *ut si mihi calceos Sicyonios attulisses, nov uterer, quamvis essent habiles & apti ad pedem, quia non essent viriles*. Imperatorum calcei *purpurei*, mulierum *albi*, virorum *nigri*, meretricum *rubri*, servorum *notâ cretacea* insigniti. Primùm calcei conficiebantur è corio crudo bubulo, aut molliore, quod Aluta dicebatur, ex pelle

hœdinâ,ex ſubere,cujus tamen uſus ferè tantùm fuit ad calceosſublevandos altioréſque reddendos, ex ferro,ære,ligno,ex arborum corticibus, argento, papyro, quod familiare Ægyptiis. Calceis etiam luxus aurum,margaritas,gemmas adjecit; hinc Plinius: *Non geſtare jam margaritas, niſi calcent, ac per uniones etiam ambulent, ſatis eſt. Calcei militares*, qui clavos habebant,quibus in terram defixis in eodem veſtigio ſtaret miles,nec ad fugam eſſet idoneus. *Calcei venatorii* altiores ſcilicet,quò à luti injuriâ defenderentur. Tragicorum calceamenta *Cothurni*,nempe ut grandiores eſſent, Regùmq; ſimiles magis actores, altè ſublevatos calceos i.e.cothurnos induebant; etiam viatores his uſi, & puellæ, quæ grandiores videri volebant. Sid. Apollin. l. 8.

Laxo pes natat altus in cothurno.

Comicorum calcei *Socci*, ideóq; Comici *Plani-pedes* dicuntur, quòd ſi cum Tragicis conferantur, videantur plano pede agere,& ob id *excalceati* à Seneca Comœdi vocitantur. Claud. l. 1. in Eutrop.

Quæ ſocci ſuperent riſus, luctúſq; Cothurni.

Jocoſè apud Plaut. in Captiv. Paraſitus ait

ait, se ad cœnam venturum esse cum *calceatis dentibus* i. e. fortibus, & ad res durissimas manducandas idoneis. Conf. Th. Dempst. in Paralip. ad Ros.

Calendæ, Primus cujuscunq; mensis dies dictus Calendæ, à Græco καλῶ. Nam antequam *Fasti* scribebantur, Pontifex Minor *calatâ*, i. e. vocatâ in Capitolium plebe, quot numero dies à Calendis ad Nonas supereſſent, pronunciabat, & quintanas quidem quinquies dicto verbo καλῶ, septimanas septies repetito prædicebat. Calendæ omnes erant in tutela Junonis. Moris etiam erat apud Romanos, Calendis dare pecuniam fœnori & exigere, unde dictæ *Calendæ triſtes* ab Horatio. *Nonæ* sic dictæ, quasi *novæ* obſervationis initium, vel quod ab eo die ad Idus *novem* dies numerentur: in quibusdam quintus, in quibusdam septimus mensis dies. Hæ in nullius Dei tutela erant. *Idus* in quovis mense octo dies sunt ab *iduare*, i.e. dividere sic dictæ, quia mensem dividunt. *Idus omnes Jovi sacræ sunt, ideoque ovis illi Idibus mactabatur, quæ dicebatur* Idulis.

Calūniator, in judicio dicebatur Petitor, qui acceptâ pecuniâ litē falsò intenderat aut

præ-

prætermiſerat. Manifeſti Calumniatoris frons Kliteræ notâ inurebatur. *Calumniæ juramentum* erat, cum accuſator, antequam nomen deferebat, ſolenne jusjurandum concipiebat, ſe non calumniandi cauſâ nomen eſſe delaturum.

Camelus. vid *Navis.*

Campus Martius. vid. *Comitia Centuriata.*

Candelabrum, locus, in quo candelam figebant, ut *Delubrum* locus, in quo Deum ponebant. Aliàs *Candelabra* vaſa, in quibus candelæ figuntur.

Candidatus, dicebatur, qui Magiſtratum aliquem petebat, à *togâ candidâ*, quam geſtabat. Profitebatur is, ſe petere Magiſtratum, ſi impetratâ ab aliquo Magiſtratu concione, vel per ſe, vel per amicos oratione declararet, velle ſe Magiſtratum populi beneficio obtinere; quanquam non ſemper habebatur ratio eorum, qui profeſſi erant. Profeſſio ipſa, quæ ſæpè integrum annum ante Comitia incipi ſolebat, poſita erat in Amicorum & populi voluntate conciliandâ. Qui verò aliquid voluntatis oſtendebant, erant vel *Salutatores*, qui primâ diei horâ domũ petitoris veniebant, & ſalute dictâ inde diſcedebant.

De-

Deductores domo exeuntem in forum deducebant,& candidatum obſervare dicebantur. *Sectatores* aſſidui cum ipſo erant, ejuſque latera ſtipabant. Voluntas populi conciliabatur 1. per *Nomenclationem*, ut Petitor ſuo quemque civem nomine appellaret & ſalutaret; cum autem omnium civium nomina nôſſe vix poſſet, poneminiſter ſequebatur, qui nomina ſuggerebat Petitori: & hic erat *Nomenclator*, Ciceroni *Monitor*, Feſto *Fartor*. 2. per *Blanditiam*, ut non proprio tantùm, ſed honeſtiore etiam nomine ſalutaret, Patrem, Fratrem, Patronum appellando. 3. Per *Aſſiduitatem*, quò pertinet ambire, prenſare, ſive rogandi cauſa ſingulorum dextram prehendere, rogare; quod ſi alii viri clariſſimas vices gererent, hi *Suffragatores* dicebantur. 4. per *Benignitatem*, quæ poſita in congiariis dandis, prandiis præbendis, gladiatoribus exhibendis, & pecuniis dividendis, quibus muneribus dandis multi ſua patrimonia profuderunt. Poſtremis etiam temporibus multi præſenti pecuniâ Populi ſuffragia emebant.

Canis, quotannis certo die ſolenni in pompa geſtabatur in crucē actus, & *Anſer* ſplen-

ſplendidè admodum in lectica & veſte ſtragulâ prcioſâ ſedens, ideò qvod anſeres in obſidione Capitolii, Gallis irruptionem in arcem tentantibus, Romanos clangore & ſtrepitu excitâſſent, canibus interim dormientibus. Satis aliàs Poëtis decantata fida *canum* cuſtodia:

Inter quadrupedes canis fidelis,
Inter quadrupedes canis Patronum
Agnoſcit, veneratur ac tuetur.

Alius ita:

——— *Domus alta Moloſſis*
Intonuit canibus.

Plutarch. in Pelopida: *Tyrannorum cubiculum, ubi quieſcere ſolebant, in edito erat, pro quo canis deligatus, omnibus, niſi ipſis & uni ſervo, qui eum curabat, horrendus agebat excubias.* *Cuſtodes* etiam *domorum* habiti *picti canes* aut *lupi*, cum hac epigraphe: *Cave, Cave Canem; Cave, Cave Lupum.* Canes etiam *cuſtodes Templorum.* Gell. l. 7. c. 1. Ædituos Templi ſæpe demiratos eſſe ſcribit, quod ſolum Africanum, nocte in Capitolium ingredientem, canes, ſemper in alios ſævientes, neq; latrarent, ueq; incurrerent. Ad placandum etiam *Caniculæ* ſidus, inimicum fru-

frugibus canes immolabant, idq; ſacrificium dictum *Caniculum*, in quo non niſi canes rufæ adhibitæ. Ridiculum eſt illud, quod narrat Plin. l. 6. cap. 30. Populum in Africa pro Rege canem habuiſſe, à cujus nutu & imperio pependerit. In luſu talorum *canis* aut *Canicula* jactus erat infortunatiſſimus, *Venus* fortunatiſſimus. Propert. l. 4. eleg. 9.

Me quoque per talos Venerem quærente ſecundos
Semper damnoſi ſubſilière canes.

Capis & *Capiduncula*, à capiendo dicta, poculi anſati genus, vas ligneum aut fictile in ſacris uſitatum.

Capitatio, aut *vectigal Capitarium*, tributi genus, quod pro unoquoque capite perſolvebatur. Lipſio videtur centeſima impoſita prō ipſo capite, æſtimatione omnium facta, ut ſi quis decem millia aureorum in Cenſu haberet, ſolveret ex iis annua centena. In quantum autem creverit capitarium hoc vectigal, ex trecentis non minus millionibus hominum, quos in orbe Romano fuiſſe ratione colligitur, facile intellectu eſt. *HÆC LIPSIUS.*

Capitia, in muliebribus veſtimentis

juxta

juxta quoſdam erant capitum tegmina; quanquam alii rectiùs pectoris tegumentum fuiſſe putant.

Capitolinus, olim *Saturnius*, poſteà *Tarpejus*, mons Romæ, à capite cujuſdam Toli hic invento, ſic dictus. In eo ampliſſimum illud Jovis Capitolini Templum erat.

Capitolini ludi, in honorem Jovis Capitolini, obſervatum Capitolium ab hoſtibus Gallis Senonibus, inſtituti, autore Camillo, Alii ab his erant *Agones Capitolini*, quinto quoq; anno celebrati, in quibus omne genus Artifices, Poëtæ, Citharœdi, Hiſtriones certabant. In eo Agone victores coronabantur ab ipſo Imperatore, unde Poëtarum laureatorum morem manâſſe veriſimile eſt. Primi coronâ & ramo lemniſcatis donabantur; qui ſecundi erant, eorum coronæ & palmæ ſine lemniſcis erant. *Lemniſci* ſunt faſciolæ coloratæ, ex coronis dependentes.

Capitolium, Magnificum Jovi templum, in monte Capitolino extructũ fuit, cujus ambitus octo erat jugerum, pæne quadrarum, centum gradibus ſuperbè adibatur In eo tres Cellæ, media Jovis, utrinque altera Junonis, altera Minervæ. Quod ad or-

ornamenta, limina erant ænea, poſt Carthaginem everſam laquearia fuerunt inaurata. Catulus & tegulas æreas Capitolii inauravit, fores etiam auratæ & craſſis laminis obductæ, quas cum Stilico, pecuniæ laborans inopiâ, detrahi mandâſſet, ſcriptum in parte forium repertum eſt: *Infelici Regi ſervantur.* Eventus id approbavit: nam Stilico paulò poſt infeliciter periit.

Caprotinæ Nonæ, dicebantur Nonæ Quintiles, quibus Junoni Caprotinæ mulieres ſacrificant, & ſub caprifico faciunt, & é caprifico virgam adhibent. Origo ſacrorũ hæc eſt. Cum Gallico motu ſedato, finitimi opportunitatem invadendi Imperii Romani ſibi datam rati, ad Senatum miſiſſent, & matres familiâs & virgines, niſi reliquias ſuæ civitatis extirpari vellent, ſibi dedi poſtulâſſent, anxiis ſuper eâ re Patribus, ancilla, nomine Tutela, ſive Philotis, pollicita eſt, ſe cum cæteris ancillis ſub nomine dominarum ad hoſtes iturum, habitúque matrumfamiliâs & virginum ſumpto, hoſtibus cum proſequentium lachrymis ad fidem doloris traditæ ſunt, quæ in caſtris diſtributæ, hoſtibus

læti

lætis & vino ſepultis, ex arbore caprifico Romanis ſignum dederunt, qui repentinâ incurſione omnes oppreſſerunt. Memor hujus beneficii Senatus, omnes ancillas manu emiſit, dotem eis ex publico dedit & his *Nonis* ſacrificium ſtatuit, annuâ ſolennitate celebrandum.

Carcer. Erat hic triplex: *Urbicus*, ut turris: *Ruſticus*, ut ergaſtula: *Caſtrenſis*, cum captivi trahebantur catenati. De *carcere* Prudent. Hymno in Vincent.

Eſt intus imo ergaſtulo
Locus tenebris nigrior.
Æterna nox illic ſilet.

Rhodiginus *tria Carceris* genera conſtituit: Unum, quô immodeſti & indocti à doctis noctu erudiendi compellebantur; alterum, quô ære alieno oppreſſi & petulantes detinebantur; tertium, ubi ſceleſtiſſimi quiq; propediem plectendi aſſervabãtur; Et in hoc plerumque necabantur rei. Thom. Dempſter. ad l. 10. Antiq. Roſ. *Communis civibus ac hoſtibus hæc pœna fuit, non in furcis, ut hodie in Europa, perire aut decollari, ſed in carcere injecto laqueo cervici necari. Ita periit Jugurtha.* Claud. l. 6. Honorii conſul.

Ipſe

Ipſe Jugurthinam ſubiturus carcere pœnam
Præberet fera colla jugo, vi captus & armis.

Vid. *Pœna.* Aliquando *Carcer* locus eſt, unde curſus inchoatur, & opponitus metæ ſeu calci; Hinc natum proverbium: *A calce ad carceres.* *Carcer* etiam à Comicis dici ſolet, qui carcere dignus eſt.

Carceres, vid. *Circus.*

Carmenta, mater Evandri, vates fatidica,

—cecinit quæ prima futuros
Æneadas magnos. Virg. l. 8. Æn.

Hanc arâ dicatâ Romani religioſe coluerunt. Carminibus reſponſa dedit, unde illi nomen, anteà *Nicoſtrata* dicta eſt.

Carna, Dea, vitalibus humanis præeſſe credebatur, & ab ea petebatur, ut jecur, cor, cæteráque viſcera ſalva conſervaret.

Carnifex, unus, qui nec civis erat, nec in urbe domicilium habebat, erat is, per quem Magiſtratus in crucem agebat, ut Lictor, per quem ſecuri percutiebat.

Carptor, qui & *Carpus* apud Petronium dicitur, is eſt, qui cibum ſcindens carpénſque præminiſtrat. Idem & *Sciſſor* dictus, & *cheironomon.* Juv. Sat. 5.

— *Spectas & Cheironomonta volanti*
Cultello, donec peragat dictata Magistri
Omnia; nec minimo sanè discrimine refert,
Quo gestu lepores, & quo gallina secetur.

Diribitor vel structor erat, qui fercula, puerorum manibus allata, commodè disponebat, & quasi sub signis collocabat; Græcè τεταξεοδόμος. Vid. Lipsi. l. 2. Saturn. Serm. c. 2.

Castellum, locus qui aquam publicam recipiebat, & in alia loca transmittebat.

Castellarius, Castellorum custos.

Castor & *Pollux*, *Dioscuri*, qui Jovis & Ledæ filii, à Poëtis *Tyndaridæ* vocãtur quia Leda uxor erat Tyndari. De his Horat. l. 1. Od. 12. *Dicam & Alciden puerosq; Ledae, hunc* (nempe Castorem) *equis, illum* (puta Pollucem) *superare pugnis nobilem.* Hos motâ tempestate nautæ imprimis invocabant. Per *Castorem* fœminæ tantùm jurabant, ut per *Herculem* tantùm viri, per *Pollucem* viri pariter ac fœminæ.

Castrametatio. Cum exercitus eo appropinquaverat, ubi castra ponenda erãt, præibat Tribunus ex quaq, legione unus, & Centuriones illi qui ad hoc munus electi erant: hi appellabantur *Metatores*. Primò

mò autem designabant *Prætorium*, Tabernaculum, quod Duces exercituum, Impp. Consules, Dictatores, &c. occupabāt: Deinde *Quæstoriū*, Quæstorum tabernaculum. Utriq; Forum conjunctum erat; illi Prætorium, huic Quæstorium. Inde *Tribuni* tendebant. Viæ mediæ *Strigæ* & *Plateæ* dicebantur, Castra ut plurimùm *quatuor portas* habuerunt, ut *quatuor latera*. Prima *Prætoria*, quæ vicina & à tergo Prætoris; ea solebat hosti obverti, ut *Decumana* averti; per hanc Prætoriam plerúmq; exercitus in prælium educebatur. Duæ *laterales* & proximæ vocabantur *Principales*, è quibus *Læva* altera ad discrimen, altera *Dextra*. *Decumana* Prætoriæ erat opposita, & ab hoste remota, ex qua desertores & facinorosi educebantur pœnis coërcendi. *Tentoria* militum in castris vulgo è corio & pelle fuerunt, unde *sub pellibus esse* idē est, quod sub tentoriis. Decem milites sub uno papilione sive tentorio degebant, hi dicebantur *Contubernium*, cui unus præerat, qui appellabatur *Decanus*, & caput contubernii. Castrorum partes externæ: *Fossa*, vallo prædicta, lata plurimùm octo pedes, & totidem alta, quam accincti mi-

lites fodiebant: *Vallum*, aggeſtus è terra & ſudibus ad labrum interius foſſæ, velut murus. Ejus partes duæ: *agger* & *ſudes*, ſive ipſa terra & murus cæſpititius, altus tribus pedibus ſupra terram *Sudes* ſive *Vallus* erat ex quocunq; & obvio ligno, robuſto tamen; neq; erat ex æquabili & ſimplici ligno, ſed habebat duas eminentias & velut cornua, aut tres aut quatuor ramos, qui reciſi eminebant, ut cornua. Poſt metationem caſtrorum Tribuni convocantes omnem copiam, tam liberos, quàm ſervos juramento adigebāt viritim, quod tale erat: *Nihil è caſtris furto tollere, imò ſi quis invenerit quippiam, id ad Tribunum relaturum*; itaq; qui aliquid è caſtris furto abſtulerat, is fuſte percutiebatur. Caſtra dicta nonnullis videntur, quaſi *caſta* quod illic caſtraretur libido, ut loquitur Iſidorus Hiſpal. Neq; enim graviores animoſæ virtutis hoſtes, quàm libido, laſcivia, luxuria; id quod Hannibal expertus, cui cum exercitu victore, Campanis delitiis victo fractoq; Capuam Cannas fuiſſe, memorant Hiſtorici. Quapropter Romanis olim caſtris non intererat mulier. Quintilianus, *Meretrices*, inquit, *ab exercitu*

citu ſubmoventur, intrare caſtra noſtra fœminis non licet. Propert. l. 4. Eleg.

Romanis utinam patuiſſent caſtra puellis,
Eſſem militæ ſarcina fida tuæ.

Tibul l. 2. Eleg. 7.

Caſtra peto, valeatque Venus, valeantque puellæ,
Et mihi ſunt vires, & mihi grata tuba eſt.

Laxior tamen diſciplina fœminas quandoque non excluſiſſe videtur; unde legitur Ecl. 10.

——— *tua cura, Lycoris,*
Perque nives alium, perque horrida caſtra ſecuta eſt.

Germani quidem, referente Tacito in lib. de mor. German. etiam in prælia adduxêre familiam, ut fœminarum ululatus & infantium vagitus bellantes incenderet; unde memoriæ proditum, labantes quaſdam acies à fœminis reſtitutas precibus objectu pectorum, & monſtratâ eminùs captivitate.

Cavea, erat area in medio Theatri vel Amphitheatri, ubi populus ludos ſpectaturus conſidebat.

Celeres. vid. *Rex & Præfectus Celerum.*

Cen-

Cenſor. Cenſores duo creati ſunt ſingulis quinquenniis, qui civibus cenſendis vacabant, cum Conſules tot oneribus ferendis non eſſent. *Cenſuræ* erat æſtimatio facultatum & morum : Cenſores enim publicas privataſq; omnium opes deſcribebant, ſingulorum hominum vitam & mores obſervabant, Senatu ejiciebant vel loco movebant, dum initio Cenſuræ, cum Senatum legebant, nomen Senatoris loco movendi præteribant. Annulum & equum Equiti adimebant. Equites enim in publica recenſione moris erat ad Cenſorum ſellas venire, equum manu ducentes; quos ſi probarent, præterire & traducere equum ſolenni verbo jubebant; ſin aliter, equum adimebant, & vendi jubebant : Tribu movebant Plebejos, dum mutare jubebant tribum, & ex honeſta ruſticaq; in minùs honeſtam ſive urbanam transferebant, aut *Ærarios* faciebant, id eſt, ſuffragii ferendi poteſtate privabant, qui hoc tantùm in numero erant civium, ut æra tributi nomine penderent. *Cenſus* peractus in villa publica, in Campo Martio; & tum Luſtrum à Cenſoribus condi ſolitum, vota pro ſalute publica concipi, & ſacri-

ſacrificium Suovetaurilium fieri. *HÆC LIPSIUS.*

Centum viri, Judices erant, non Magiſtratus, qui de variis controverſiis judicabant: cum enim Romæ Tribus eſſent *quinque & triginta*, terni ex ſingulis Tribubus electi ſunt ad judicandum, qui *Centumviri* appellati ſunt licet quinque amplius, quam centum, fuerint.

Centuria. In re militari Centuriæ dicũtur milites, qui ſub uno Centurione ſunt, quorum centenarius juſtus numerus Cẽturiæ in *Contubernia* dividebantur, ita ut decem militibus, ſub uno papilione degentibus, unus præeſſet *Decanus* ſive caput contubernii. Contubernium dicebatur *Manipulus*, eò quòd conjunctis manibus pariter dimicarent; vel milites *manipulares* inde dicti ſunt, quòd Romuli tempore centuriis vir unus manipulum fœni & herbarum conto erectum prætulerit.

Centurio. centuriones, qui ſingulis ordinibus in Legionibus præerant; alii, qui centum peditibus præerant. centurio primæ cohortis dignitate cæteris anteibat, & conſilii erat particeps: Ut & prima cohors (cohortes in qualibet legione decẽ

rāt,& hæc armatos minimûm pedites habebat 6100. equites 726.)reliquas & numero militum, & dignitate præcedebat. Fl Veget. l. 2. c. 6.Idem *Centurio Primipilus* vel *Primipili* vocabatur. Centuriones autem ſinguli eligebant extremi agminis ſive tergi ductores,qui & *Accenſi* & *Optiones* appellabantur : Tribunus enim militum Centurioni adjutorem dabat, eique permittebat,ut, quem vellet, eligeret tergi ductorem.

Ceres quaſi Geres,à gerendis frugibus, frugum Dea : per Triptolemum enim mortales agriculturam docuiſſe fertur. filia ejus *Perſephone* ſive *Proſerpina*,à Plutone rapta, ejuſque uxor facta,& inferorum Dea.

Cerealia,Cereris ſacra,quæ & *Græca ſacra* dicta ſunt,à Matronis non lugentibus celebranda: omnis enim luctus tollendus erat, ſi quis eſſet in *Caſto Cereris* id eſt Cereri operaretur. Hæ feriæ in diem 19. Aprilis incidebant.

Cereris Græca Sacerdos, quæ Arcadum inſtituto in monte Pallanteo, qui poſtea Palatinus dictus eſt, Cereri ſacra fecit abſtemia more Græcô.

Cereales ludi,in honorē Cereris prid.Idus

Aprilis celebrabantur. In his ludis luctus Cereris repræſentabatur à Matronis ob raptam Proſerpinam, & ejus peregrinatio cum face quæritantis filiam. In his ſacris ante noctem epulabatur nemo; Romani in candidâ togâ eos ludos ſpectabant: mulieres in veſte albâ ſacrum faciebant; cumque à lugentibus hi ludi peragi non poſſent, & eam ob cauſam poſt cladem Cannenſem hoc ſacrum intermiſſum eſſet. Senatus luctum triginta diebus finiri juſſit. Iiſdem ludis Miſſilia, id eſt, nuces, cicer, & alia talia, in vulgus ab iis, qui ludos exhibebant, ſpargebantur, ad plauſum & populi favorem captandum.

Cervi. vid. *Machinæ.*

Ceſtus. vid. *Cæſtus.*

Chariſtia, Feſta ſive Convivia die 22. Febr. inſtituta, quibus cognati & affines conveniebant, ut ſi qua inter neceſſarios lis aut querela eſſet orta, apud ſacra Menſæ Fautoribus Concordiæ adhibitis tolleretur. Ità veterũ Chriſtianorum convivia dicta ſunt *Agapæ*, à charitate quod omni excluſâ lite, Charitatis eſſent exercitia, alimenta, incrementa. *Agape*, inquit Joh. Meurſius, erat conviviũ clericis vel pau-

pe-

peribus exhibitum charitatis ergò. Ditiores etiam in conviviis pauperum rationẽ habentes, ſuas eis portiones per Diaconos mittebant. Hæ Agapæ tandem propter abuſum Templis ejectæ & penitus ſunt abolitæ. Conf. Lex. Philol. Matth. Martinii.

Chlamys, ad veſtimenta puerilia refertur. Aliàs eſt veſtis militaris.

Chorus, vid, *Actus*.

Cippi, vid. *Machinæ*.

Circuitor, vid. *Vigiliæ*.

Circus, locus Soli dicatus, à *circuitu* dictus. in quo populus ludos ſpectans conſidebat. Primus omnium Tarquinius Priſcus *Circum Maximum* extruxit, cujus ornamenta erant Ova, honori Caſtoris & Pollucis conſecrata, & Delphini Neptuno. *Ova* & *Delphini*, dicebantur opera rotunda, ovorũ delphinorumq; formis expreſſa, quæ converſionem & flexionem curſus oſtenderent. *Metæ*, erant pyramidali figurâ pilæ, in dimenſo ſpatio poſitæ, ad quas cum veniſſent quadrigæ, neceſſe erat, ut circum ipſas flecterentur. *Obeliſcus*, erat ſaxum ingens manu artificis lævigatum, in figuram metæ cujuſdam, ſenſim ad proceritatem conſurgens excelſam, & pauli-

ſper

ſper gracileſcens,ut radium imitetur. Obeliſco quã plurimæ notæ hieroglyphicæ erant inciſæ. *Carceres* in Circo erant,unde emittebantur currus. Ut enim in carcere damnati,ita hîc equi coërcebantur. Progreſſu autem temporis plures Circi ſunt extructi.

Circenſes ludi, vid. *Gymnici.*

Citharœdus,Hic convivii plerumq; pars. Ita in ſolenni Didonis convivio, l. 1. Æn. v.744. — *citharâ crinitus Iopas*
Perſonat auratâ.

Canebat coronatus; corona ejus erat querna·Mart l.4. Epigr.

O cui Tarpejas licuit contingere quercus,
Et meritus primâ cingere fronde comas!

Veſtis olim demiſſa ad pedes uſq;,eáq;dicta *palla*,erátq; purpurea & variegata,cũ hac & canere & ſaltare conſueverat. Ingreſſus ſcenã(nam & in theatro frequenter adhibitus)oſcula ſeu baſia jactabat,ori prius manu admotâ,deinde protenſâ in eos, quos adorabat; & hoc erat propriè *adorare*; Aurigæ verò populum flagello, ad os admoto, cum aliter non poſſent,adorabant.Inſigne Citharœdi,ut & Muſici, annulus ſeu gemma fuit. Sueton. de Symphon;

phoniacis Neronis: *Insignes pinguissimâ comâ & excellentissimo cultu pueri, nec sine annulo lævis*; quasi dicat, ex consuetudine aliorum Musicorum lævas annulis habuisse ornatas. Citharœdorum olim conditio satis lauta: Mart. l. 5. Epigr.

Artes discere vult pecuniosas?
Fac discat Citharœdus aut Choraules.

HÆC JOS LAURI NT. l. 2. Pol. Diss. 45.

Civis Romanus, est homo liber, qui urbem agrúmve Romanum inhabitat; vel, Civis Romanus optimâ lege is videtur, qui domicilium, qui tributum, qui honorum potestatem est adeptus.

Classicum. vid. *Aciei adjuncta*.

Clavus latus, Angustus. vid. *Tunica*.

Cliens. vid. *Patronus*.

Cloacina, à cloaca dicta, quòd effigie quâdam in cloaca repertâ, cum, cujus ea esset, ignoraretur, ex loco nomen, illi inditum est. *Adyta Cloacinæ* Tertullianus cloacas dixit.

Cœna. Quam cœnam dicimus, veteres appellârunt *Vespernam*. Cœna nomen habet à communione vescenrium; κοινὸς communis.

Cœnæ partes. *Antecœna* sive *Gustatio & Promulsis*, quod daretur ante mulsũ: anti-

qui enim in conviviis primam ſitim ferè non ſedabãt, niſi mulſò, quod in principio cœnæ vel confectũ apponebatur, vel ejus loco vinum ſeparatum & mel, ut conviva quiſq; pro arbitrio id temperans mulſum ſibi conficeret. *Cœna* ipſa, in qua præcipui & lautiſſimi cibi. Præcipuum ejus ferculum *Caput Cœnæ* dicebatur. *Menſa pomorum, menſæ ſecundæ*, aut *bellaria*, quo nomine omne genus menſæ ſecundæ ſignificatur, ut nuces, pyra, poma. Cœnæ initium priſcis fuit lactuca, ova, lucanicæ. *Cœna Deûm* dicta frugi & jucunda. *Cœna Saturnia* ignara exoticarum deliciarum. *Hecates*, quod apud inferos præparcè cœnent. *Hecales*, ab Hecale pauperculâ, *Icci* ab ejus viri parſimonia. *Philoſophica, Platonica, Ruſtica, Laconica, Cynica*, pro nimis tenui ac pæne ſordidâ. *Terreſtris*, id eſt, ſine ſanguine, ex oleribus tantùm. Contrà *Cœna dapſilis, pollucibilis, recta, dubia, uncia, epularis, regalis*, quæ dabatur à divitibus. Item *Cœna Cerealis, Saliaris, Auguralis, Pontificalis, Capitolina, Perſica, Sybaritica, Campana*, & aliæ id genus, quæ à delicatiſſimis Apiciis & luxurioſiſſimis populis uſurpatæ. Horatius de hærede divitis avari non avaro Od. 14. lib. 2.

Absumet hæres Cæcuba dignior,
Servata centum clavibus: & mero
Tinget pavimentum superbum
Pontificum potiore cœnis.

Cœnatoria toga. vid. *Accumbendi ritus.*

Cognitor, qui præsentis Litigatoris causam cognoscit ac tuetur, ut suam, cujus fidei Partes jus suum explicatum litisq; fudamenta concredunt. Hodie idem dicitur *Procurator*, à quo olim ita differebat Cognitor, ut ille *absentis*, hic *præsentis* causam ageret. Quod si Cognitor præter operā etiā jus suggereret, ejusq; formulas agendi imperitos edoceret, aliud nomen induebat, & dicebatur *Formulario* vel *Legulejus*, à Græcis *Pragmaticus*. Hinc Cic l. 1. Or. ita describit. *Legulejus cautus & acutus Præco actionum, cantor* (al cautor.) *formularum, auceps syllabarum.* Quemadmodum *Aulœdi fiunt, qui non possunt esse Citharœdi*, ut proverbio dicitur: ita qui JCti laudem assequi nequeunt, ad Legu-
" lejos transeunt; & hi sunt quasi JCto-
"rum feces, ἀγορᾶς σκυβάλματα, ut de Æschine
" locutus est Demosthenes, Harpyiæ, hi-
" rudines generis humani, æruscatores,
"impostores, veteratores, qui technis cō-
centuriatis

centuriatis,ut eſt apud Plautum,in laby-
" rinthos mæandroſq; litiũ æternarũ cli-
" entulos imprudentes intrudunt, cumq;
Juſtitiæ ſe ſatellites profiteantur,eam nũ-
"mo produnt. HÆC ET PLVRA ID GENVS FRANC. POLLET. l. 2. Hiſt. Fori Roman. c. 2. & 3.

Cohors Pedeſtres copiæ in *Cohortes* & *Manipulos*,Equeſtres in *Turmas* & *Decurias* dividebantur. In una Legione *decem Cohortes* erant quarũ prima & numero militum & dignitate præſtabat,& vocabatur *Cohors Milliaria*,totius Legionis caput.

Collegium. Collegia inſtituta ſunt à Numa Rege,qui multitudinem diſtribuit ſecundum artificia, ut ſuum peculiare corpus haberent Tibicines, ſuum Sutores,Coriarii, Figuli &c: Conveniunt illa Collegia cum noſtris Sodalitiis, quæ vocantur Zunfte. Qui unius & ejuſdem Collegii erant, *Sodales* dicebantur.

Colonia. Coloniæ fuerunt oppida,in quæ populus Romanus cives ſuos ad incolendum deduxit: Duplices erant, *Romanæ* & *Latinæ*. *Romãæ*,quæ donatæ erãt jure Quiritium,ſive jus privatum civium Romanorum habebant,jura verò publica civitatis Romanæ non habebant; ita nomine qui-

dem erant cives Romani, re verò coloni, *Latinæ*, quæ jus habebant Latii, & ſuffragiorum poteſtatē, Magiſtratu permittente; quod ſi quis in Latina civitate Magiſtratum geſſiſſet, civis Romanus fiebat. Erant & *Coloniæ militares*, cum veterani milites annis obſiti prœliiſq; feſſi, ut laborū ſuorum præmium aliquod caperent, deducebantur; coloniarum deducendarum cauſſæ potiſſimæ, ut urbs ipſa princeps ſuperfluâ nimiâq; populi multitudine levaretur, tum etiam ut domitas ſubjectaſq; ſibi gentes eo pacto in officio retinerent.

Columella bellica. vid. *Bellona.*

Comeſſatio, vel, ut alii, Comiſſatio, cōviviū nocturnum & intempeſtivum poſt cœnā.

Comitium, Locus in foro Romano, ubi populus convenire ſolebat, initio ſine tecto fuit, longo pòſt tempore tectum impoſitum eſt. Comitia à *coëundo* vel *comeundo*, ut veteres locuti ſunt, dicta, fuerunt conventus populi ad ferendu de aliqua re ſuffragium. *Comitia* propriè erant, quando univerſus populus; *Concilia*, quando pars tantùm populi conveniebat. *Comitiorum* genera *tria* erant, *Curiata*, cum populus curiatim, ſive per curias; *Centuriata*, cum cen-

centuriatim, ſive per centurias; *Tributa*, cum tributim, ſive per tribus ferebat ſuffragia. Ea omnia *Calata* vocabantur, à verbo *calare*, quod priſcis temporibus erat *vocare*, poſtea v. *Calata Comitia* ea tantùm dicta ſunt, quæ pro Collegio Pontificum habebantur, aut teſtamentorum condendorum cauſſâ fiebant.

Comitia Curiata, in quibus populus per Curias diviſus ſententiam rogabatur, ut, quod plures ſtatuiſſent, id juſſu populi diceretur.

A gravibus curis Curiæ nomen habet.

Sunt autem *Curiæ* 1. triginta partes, in quas populum Romulus diſtribuit, unde *Curiales* dicuntur, qui ſunt ejuſdem curiæ. 2. Ædes ſacræ, quas ſingulæ harum triginta partium habuerunt ad ſacra peragenda. 3. Ædes, in quibus Senatus eſt habitus. Suffragium in his Comitiis ferebant cives Romani, qui in Curias erant deſcripti, aut in Urbe domicilium habebant: creſcente enim Republ. multis vicinis populis jus civitatis communicabatur, & hi in Tribus quidem deſcribebantur, ſed quia extra Urbem habitabant, & ſacra ſua retinebant, in Curias non referebantur antequam & domicilium & ſacra mutâſſent.

Comitia habebantur *auſpicatò*, & ſemper Augures tres his Comitiis aderant; quod ſi Augur *alio die* dixiſſet, rem ſuſceptam dirimebat, & inſtituta reſcindebat. Magiſtratus etiam cum Comitiis impedimento eſſe cupiebat, tunc de cœlo ſervabat; haud tamen licebat Comitiis Magiſtratuum creandorum cauſa inſtitutis *de cœlo ſervare*, eaq; hac ratione impedire. Poſtquam autem Curiæ convenerant, neque quicquam erat, quod Comitia impediret, tum *Rogatio*, de qua Curiæ ſuffragium laturæ erant, publicè recitabatur, eâ recitatâ, Præſes Comitiorum Curias in Suffragium mittebat his verbis: *Si ita vobis videtur, Qvirites, diſcedite in Curias, & ſuffragium inite.* Quod ſi Rogatio non videretur è re populi, Tribuni plebis intercedebãt, utentes ſolenni ſuô verbô: *Veto* vel *Vetamus*; & tũ Comitia vel diſſolvebantur vel in aliũ diem proferebantur. Nemine autẽ Tribunorũ intercedente, diſcedebat populus in Curias, poſt ſingulæ Curiæ, unâ poſt alteram ſorte vocatâ, exibãt, & ſuffragiũ ferebant; quæ prima exierat, *Principium* dicebatur, & quod plures ex triginta Curiis juſſerant, id ratũ habebatur. Suffragia

gia in his & aliis Comitiis initiò fuerunt *vocalia*; poſteà non voce, ſed *tabellis* ſuffragium tulerunt.

Comitia Centuriata, quibus populus per Claſſium Centurias diverſas ferebat ſuffragium, ita ut ſuffragia colligerentur Centuriarum, & quod plures Centuriæ juſſiſſent, id ratum haberetur. Servius Tullius populum Romanum primus in ſex Claſſes & 193 Centurias diſtribuit. His comitiis Magiſtratus creârunt, leges tulerunt, bellum indixerunt. centuriis præfecti erant *Centuriones*, ut quiſq; erat Virtutis ſpectatiſſimæ, qui centurias imperatis peragendis aſſuefacerent. *S*uffragium autem in his ferebant, non tantùm cives in Urbe, qui jus ſuffragii habebant, neque in Ceritum tabulas erant relati; ſed etiam qui extra Urbem, in Italia civitate cum jure ſuffragii erant donati. comitia hæc in *Campo Martio* habebantur. *Campus* hic extra Urbem vel à Caja Tarratia, virgine Veſtali, vel ab Acca Laurentia populo Romano donatus, & Marti à Romulo conſecratus eſt. In eo juventus Romana omnis generis certamina inſtituebat, ut Schola militiæ Romanæ optimo jure diceretur,

orto tumultu hic delectus habebatur; clari viri mortui cremabantur. Certi autem dies erant, quibus cum populo agi licebat, quibus & Senatus haberi non poterat: & hi vocabantur *Comitiales*. Ante Comitia requirebatur, ut *Patres Auctores* fierent, h. e. ut juberent aliquem Comitia indicere: neq; enim quicquam in his agere licebat, nisi Senatûs auctoritas accederet. Inter Edictum autem & diem Comitiorum *Trinundinum* plerumque solebat interjici; legibus etiam promulgatis dabatur Trinundini spatium, quò fieret potestas legis improbandæ omnibus, qui vellent: nempe tribus nundinarum diebus advocatâ concione lex recitanda erat, & populus rogandus, ut legem acciperet, & ad diem dictam frequens adesset. Qui primus populo, ut legem acciperet, suadebat, is *Auctor legis* appellabatur; suadebant & alii, alii etiam dissuadebant. Tandem captatis auspiciis & sacris peractis, constitutô die, Magistratus Comitia habiturus, Urbem egrediebatur, & Tabernaculum capiebant, sequebantur Cives omnes armati sub signis, in suis quiq; Centuriis; in Janiculo verô præsidii causa,

ſa, dum concio durabat cuſtodiæ agebantur. Quod ſi fulgura & tonitrua interveniſſent, aut ſi quis repentè morbo ſacro ſive Herculeo, qui & *Comitialis* inde dictus, correptus concidiſſet, Comitia dirimebantur. Populo itaque in Campo Martio congregato, Magiſtratus concionem habebat ad populum, quâ rogabat, ut id, quo de ageretur, juberet aut vetaret. In Legum Comitiis etiam Lex recitabatur à Præcone, ſubjiciente ſcriba. Omnium autem actionem cum populo commune principium erat: *Velitis jubeatis Quirites.* His peractis jubebat Magiſtratus populum in ſuas Centurias diſcedere; hinc Centuriæ in ſortem conjiciebantur, & quæ primùm ſorte exibat, *Prærogativa* dicebatur; reliquæ *Jure vocatæ.* Sortitione de prærogativa factâ Magiſtratus in tribunali, quod erat in Campo Martio, ſedens, per præconem Prærogativam Centuriam vocabat ad ſuffragium. Centuria itaque illa de eo loco, in quo conſiſtebat, diſcedebat in ſeptum quoddam prope tribunal quod *Ovile* vocabatur, & erat locus cancellis concluſus; in illud Ovile Centuria diſce-

dens ibat per *Pontes*, qui erant anguſtæ viæ, per quas populus in ovile diſcedebat. In pontibus initiò ſtabant *Diribitores*, qui duas tabellas ſingulis miniſtrabant, in quarum unâ ſcriptæ erant literæ *V. R. Vti Rogas*; in altera *A. Antiquo:* illâ lex approbabatur, hâc antiquabatur. Ingredientibus in Ovile *Rogatores* ciſtam proponebant, in quam conjicerent eam, quam vellent, tabulam. Collectis tabellis, ſuffragii adhibebantur *Cuſtodes*, quorum munus erat deſcribere ſuffragia; ſive tot *puncta* in tabella notare, quot tabellæ ſimiles reperirentur, ut finito tandem numero ea Centuriæ ſententia renunciaretur, quæ plures habere tabellas ſimiles ex numero punctorum perſpiceretur: ſi plures haberent literas V. R. legem à Centuria juberi; ſin autem plures A. ab eâdem legem non accipi renunciabatur. Quibus autem Magiſtratûs dignitas his Comitiis collata erat, à maxima populi multitudine, maximè propinquorum & neceſſariorum, cum ſummâ omnium gratulatione domum deducebantur.

Comitia Tributa, cum per tribus ſuffragium ferebatur. Vox *Tribus* uſurpatur, vel pro

loco, & tum partem quandam Urbis Romæ ſignificat; vel pro *hominibus*, tum quandam civium partem denotat; vel pro *jure*, & tum jus alicujus partis civitatis deſignat. *Tribus* erant partes populi locis diſtinctæ in Urbe, & circa illam per Italiam diſperſæ, ſic dictæ, vel à *tributo conferendo*, vel à *numero ternario*. Romulus enim initiò populum in tres partes diviſit, *Ramnenſes*. *Tatienſes*, *Luceres*. Ciceronis ævo Tribus fuêre. XXXV. diviſæ in *Urbanas*, quæ Urbē, & *Ruſticas*, quæ rura colendi cauſſa ruri habitabant; & Ruſticæ quidem ad vitæ ruſticæ commendationem Urbanis longè præferebantur, unde & optimus quiſq; in ruſticis Tribubus cenſeri volebat. Hæc Comitia habebantur ad creandos minores Magiſtratus, ad certos Sacerdotes cooptandos, ad quaſdam leges ferendas, utpote de pace, de triumpho, de civitate cuipiam dandâ, aut ad judicium exercendum; Habebantur autem vel in Campo Martio, vel in Comitio, vel in Capitolio, vel in Circo Flaminio, qui erat locus in ipſa urbe à Flaminio Conſule ſic dictus, Modus horum Comitiorum idem pænè erat, qui in Comitiis Centuriatis; unde

paullo antè dicta hoc loco repetere non libet.

Commentariensis, in castris, qui obsequia militum, excubias, commeatúsq; perscribebat. Ita & *carceris custos* dictus est, eo quod in commentarium custodias referret, & velut diarium custodiarum conficeret. Δεσμοφύλαξ ille custodiam & periculum reorum præstabat, ita ut reo elapso talione ipse puniretur.

Comœdia. vid. *Tragœdia.*

Comperendinatio. Si primâ actione perfectâ post diem tertium secunda institueretur, Comperendinatio dicebatur, eò quòd perendino die ageretur.

Compitalia, d. 2. Maji instituta festa, & *Compitalitii ludi*, qui à ruricolis in compitis peragebantur. Horum sacrorum meminit Cic. l. 7. ad Atticum ep. 7. *Ego quoniam 4. Non. Januarias Compitalitius dies est* (neq; enim stato semper & præscripto die recurrebant Compitalia, ut cæteri dies festi) *nolo eo die in Albanum venire, ne molestus sim familiæ.* Instituta autem hæc sacra in honórem *Larium*, qui triplices. 1. Lares *domestici & familiares*, qui familiæ & privatis ædibus præerant. 2. *Viales*, viarum & itine-

itinerum præſides. 3. *Urbani* ipſius urbis cuſtodes. Ovid. l. 5. Faſt.

Stant quoque pro nobis & præſunt mœnibus Urbis,
Et ſunt præſentes auxiliumque ferunt.

Thom Dempſt. ad cap. 9. l. 4. Antiq. Roſ.

Conciliabulum. Conciliabula erant loca nundinationis, quæ Prætores in Provinciis indicere ſolebant.

Concordia, Dea dicta, quæ *daret concordiam*, cujus diverſæ ædes Romæ fuerunt: primam ſedatâ ſeditione Camillus vovit; alteram Cn. Flavius æream fecit in Grecoſtaſi. *Græcoſtaſis* locus erat, ubi Legati ſubſiſtebant, qui ad Senatum erant miſſi. In templo Concordiæ *Senaculum* erat, in quo Magiſtratus cum Senioribus deliberabant.

Congiarium, munus Imperatorium, quô donabatur populus, ut cum nummi aliquot viritim diſtribuebantur: *Donativum*, quo milites.

Conjuratio. vid. *Militia.*

Conſecratio Impp. hôc modô peracta eſt: Imperatore, qui ſuperſtitem reliquiſſet Succeſſorem, mortuô, corpus conſvetô ritu ſumtuoſô funere ſepeliebatur, ceream deinde imaginem, defuncto ſimillimam

mam ſupra lectum eburneum maximum veſtibus inſtratum aureis locabant. Lectum à leva Senatus atris veſtibus amictus, à dextrâ Matronæ honeſtiores cingebant. Hæc per ſeptem dies continuos faciebant, Medicis quotidiè ad lectum accedentibus quaſi inviſerent ægrum. Hinc lectum humeris attollebãt Senatorii & Equeſtris ordinis nobiliſſimi lectiſſimíq; juvenes, & in vetus forum deferebant, ubi Magiſtratus Romani deponere imperiũ conſueverunt. In foro alius erat lectus conſimilis, in quo ſtatuam ceream Principis ex palatio allatam collocabant, à quâ puer egregiâ formâ, ut ſi Imperator dormiret, pennis pavonis muſcas abigebat. Imperator vivus roſtra adſcendebat, & defunctum Imperatorem laudabat; inde Imago deferebatur in Campum Martium, præferebantur Statuæ Romanorum illuſtrium, Provinciarum item & Nationum, quæ Romano Imperio ſubjectæ erant, ænea ſimulachra, equites ac pedites ſequebantur armati, &c. In Campo Martio rogus ſpecie quadrangulâ in formam tabernaculi extructus erat, intextis auro ſtragulis, variiſq; ſignis exornatus; in ſummo currus inauratus defuncti Impera

peratoris erat collocatus; inde aromata & ſuffimenta, herbas, fructus & ſuccos odoratos omnis generis acervatim effundebant; Imperator ſuperſtes & propinqui Imperatoris defuncti ſtatuam ejus oſculabantur; tum, univerſo ſpectante Senatu, circa ædificium illud adequitabant omnes equeſtris ordinis certâ lege, curſu & recurſu; currus etiam circumagebantur à purpuratis Rectoribus; quibus celebratis, facem Imperii ſucceſſor tabernaculo admovebat, & omnes Megiſtratus undique ignem ſubjiciebant; ſimul etiam è ſummo tabernaculo aquila dimittebatur, quæ in cœlum Principis animam deferre credebatur. Eâdem ratione Imperatoris Auguſtæ conſecrabantur.

Conſertio manus, vid. *Vindiciæ.*

Conſualia. vid. *Romani ludi.*

Conſul. Conſules poſt exactos Reges bini conſtituti ſunt, quibus Reip. ſumma cōmiſſa eſt. *Imperium*, inquit Florus, *ex perpetuo annuum placuit, ex ſingulari duplex, ne poteſtas ſolitudine vel morâ corrumperetur.* Conſules dicti ſunt, quòd Reipubl. & civibus *conſulerent*, aut ab his conſulerentur, aut quod Senatum conſulerent.

Græci

Greci eos à poteſtatis præcellentiâ appellârunt ὑπάτους, quos initio dixere *Prætores* & *Judices*. Legitimus annus hujus Magiſtratus capiendi fuit annus ætatis XLIII. Peculiare & extraordinarium fuit, cum aliquis honoris & virtutis ergò ante legitimum tempus factus eſt Conſul; quod Scipioni, Pompejo & paucis aliis contigit. Rarò Conſulatus bis térve uni collatus eſt; ſolus Marius ſepties Conſulatum geſſit. Poteſtas Conſulum in omnibus negotiis ad Rempubl. pertinentibus ſumma erat, ut quibus omnes Magiſtratus ſubjicerentur, præter Tribunos plebis. Inſignia eorum erant ſella Curulis, regia & eburnea, in quâ jus dicebatur, trabea, ſive toga purpurea prætexta, Lictores duodecim, præferentes Faſces cum ſecuribus. Magiſtratus hic etiam erat ἐνιαύσιος, quo annorum differentiæ notari ſolebant.

Conſulares viri dicebantur, qui Conſulatum geſſerant, è quibus electi Dictatores, Magiſtri Equitum, Cenſores, &c:

Contubernium. vid. *Centuria.*

Convivarum numerus. vid. *Accũbendi ritus.*

Nota beîc obiter:

Fercula in menſam deferebantur ab *ancillis*

lis aut *servis*, qui dicti *Dapiferi*, δαιτροφόροι. Ferculum idem quod missus: hi olim terni, Augusto, teste Suetonio, aliquando seni, Heliogabalo viceni Et sanè ventris illa mancipia, quibus cum informi monstro, Polyphemo, γαστὴρ δαιτύμονων μεγίστη, ferculorum auxisse numerum certum est. Notum est prodigiosum illud Vitellii convivium, *de quo Svet.* in eo duo millia lectissimorum piscium, septem avium apposita. Quæ autem fercula *servi* essent illaturi, Convivator tabellâ cognoscebat. Athenæus lib. 2. *In cœnis prisco more Convivatori posteaquam accubuisset, tabella, in qua omnium ferculorum nomina descripta erant, tradebatur, ut sciret ille, quodnam opsonium allaturus esset coquus &c:*

Conus. vid. *Galea.*

Corbita. vid. *Navis.*

Corduuum. vid. *Lorica.*

Cornicularius, Tribunorum militarium minister, qui vigilias Tribunorum loco circumibat, atque eorundem imperia corniculo edebat.

Cornu. vid. *Signum.*

Corona. Coronis donabantur milites, qui strenuè rem gesserant. Erant autem variæ:

riæ: *Triumphalis* aurea, quæ Imperatori ob honorem triumphi mittitur. Vulgò dicitur aurum coronarium. *Aurum coronarium* eſt inquit Lipſius, *quod ſpecie triumphorum vel oblatum, vel exactum.* Hæc antiquitus è lauro erat. Ovid. l. 2. Amor.

Ite triumphales circum mea tempora lauri. Et ob eandem cauſſam lauri dicuntur *victrices.* Virg. Ecl. 8. Apud Hor. od. 14. l. 3. Carm. *laurus morte venalis*, eò quod victoria mortis præſenti redimenda periculo. Hæc Triumphatoris corona olim *laurea*, pòſt creſcente luxu *aurea*, in ſinum Jovis Capitolini deponebatur, aut in Templis, tanquam anathema votivum ſuſpendebatur; atq; ita Diis, victoriæ autoribus, ſpecioſiſſimum Triumphi pignus vovebant. Triumphanti etiam coronæ aureæ prælatæ ſæpè plurimæ, pro opulentiâ provinciæ ſuperatæ. Conſ. Th. Dempſt. ad cap. 29. l. 10. Antiq. Roſ. *Obſidionalis*; quam obſidione liberati Ducidant liberatori. Ea graminea erat. *Civica*, è fronde quernâ, quam civis civi, à quo ſervatus erst in prælio, teſtem vitæ ſalutiſq; perceptæ dabat. Hâc donabatur, qui & civem ſervaverat, & hoſtem eodem tempore occiderat.

ciderat. *Muralis*, quâ donabatur, qui primus murum ſubierat, ínque oppidum hoſtium per vim aſcenderat. Ea quaſi muri pinnis docorata erat. *Caſtrenſis*, quâ donabatur, qui primus hoſtium caſtra pugnans introierat; inſigne valli habebat, unde & *Vallaris* dicta. *Navalis*, quâ donabatur, qui in prælio maritimo primus in hoſtium navem vi armatus tranſilierat. Navium quaſi roſtris ea inſignita erat. Hæres poſteriores ex auro fieri ſolebant. Claudianus aptè:

Sæpè Duces meritis bello tribuére Coronas,
Hunc cingit Muralis honos, hunc Civica quercus
Nexuit, hunc domitis ambit Roſtrata carinis.

Hæc adepti dona, præter gloriam in exercitu, & domi famam, in patriam etiam reverſi, ludos pompaſq; iiſdem coronis ornati ſpectabant. Videatur *Animadverſio in hoſtes & Machinæ.*

Cothurnus. vid. *Tragœdia.*

Crates. vid. *Machinæ,*

Criſta. vid. *Galea.*

Cumeræ. vid. *Nuptiæ.*

Cuneus. Cunei erant certa loca in thea-

tro

tro, ſive graduum ordines, in quibus vulgus Spectatorum ſtabat inter ſedentium ſubſellia. vid. *Acies*.

Cuniculus. vid. *Machinæ*.

Cunina, Dea, quæ cunis præerat, aut infantes in cunis tuebatur, & faſcinum ſubmovebat.

Cupido, vel *Amor*, Veneris filius Amoris Deus. Duplicem hunc faciunt, cum alius ſit amor licitus & honeſtus, alius turpis & illicitus, vel *Eros* & *Anteros*; Hinc ab Ovidio Venus dicitur *geminorum Mater Amorum*. Tela Cupidinis alia *plumbea*; quæ fugant; alia *aurea*, quæ faciunt amorem. *Puer* fingitur, quia turpitudinis ſtulta eſt cupiditas; *Alatus*, quia amante nihil levius aut mutabilius; *Cæcus*, quia amans amens, & unuſquiſq; ferè in eo, quod amat, cæcutit; *Sagittas geſtat*, quia amorem dolor ſequitur & pœnitentiæ punctura.

Curator. Curatores *Tribuum*, qui Tribuum commoda procurabant, ut in vicis vicorum Magiſtri. Curatores *alvei Tiberis* & *Cloacarum*. Curatores *viarum* ſingularum extra Urbem. Curatores Regionum qui commoda quarumlibet Regionum procurabant, (erat enim Urbs ab Auguſto in XIV. Regiones diviſa) elegantiam viarum & vicorum, &c.

Cu-

Curia. vid. *Comitia.*

Curiones, à Curiis dicti sunt. Cum n. Romulus populum in tres tribus & triginta Curias distribuisset, singulis curiis virum præposuit, *Curionem* dictum, qui sacra pro suâ Curiâ faceret. Ex his triginta unus qui cæteris præerat, *Curio Maximus* dicebatur, & ipsa sacra *Curionia.* Curiæ etiam ædes erant, in quibus quælibet Curia sacra sua peragebat. *Curio agnus* dicitur Plauto in Aulul. Act. 3. Sc. 6. *qui ossa atque pellis totus est ita eurâ macet: qui pellucet, quasi laterna Punica, ita ut exta inspicere in Sole etiam vivo liceat.* Ita & *Curiosi* per dicterium appellati graciles & macilenti; eò quod curis se macerare videantur; contrà *Incuriosi* sunt pingves; hinc Apulejo agnus incuriosus est agnus pingvis.

Cybele. vid. *Rhea.*

D.

December, mensis decimus à primo, nempe Martio, unde & nomen illi est.

Decemviri. Decemviri Legibus, scribendis Consulari potestate. Hi legibus, quas è Græcis Civitatibus petierant, in XII. Tabulas relatis, quibus duæ posteà sunt adjectæ, Rempublicam populi jussu gubernârunt.

Penes unum fasces erant & reliqua Consularis potestatis insignia; deinde alius in potestatem succedebat servatis vicibus idque ad certos dies, donec annus elaberetur. Cùm autem clandestinum fœdus jurejurando inter se percussissent, ne quis ex Collegio ulla in re alteri adversaretur, multa etiam pro imperio tyrannicè & libidinosè agerent Decemviri, sublati, & ea potestas tertío anno in universum sublata est.

Decemviri Stlitibus judicandis, Magistratus, qui hastæ præerat, & hastâ Prætoriâ adhibitâ judicabat: *Stlitibus* idem significat, quod *super lites*.

Decimatio. vid. *Pœnæ militares.*

Decoctor. Decoctoribus, qui Græcè ἄφωτοι dicti, hæc infamiæ nota inurebatur, ut in spectaculis certo loco, lege assignato, considentes, conspicui essent omnibus, etiamsi infortunio aliquo, non nequitia, decoxissent. Cic. Orat. 2. Philipp. *Illud est audaciæ tuæ, quod sedisti in quatuordecim Ordinibus, cum esset lege Roscià certus locus constitutus decoctoribus, quamvis fortunæ vitio, non suo decoxissent.* Apud Græcos hanc infamiæ notam subibant de-

co-

coctores, qui non eſſent ſolvendo, nempe in forum deducebantur, ibi conſidere jubebant, capitiq; eorum ſedentium cophinum imponebant ludibrii cauſſa: ita infamis ille evadebat, & id vocabant κοφινοῦσθαι.

Decumana porta. vid. *Caſtrametatio.*

Decurio, qui decem Equitibus præerat. In ſingulis turmis equitum Decuriones tres erant, uti *Turma* in tres decurias dividebatur. Aliàs *Decurio* Senator erat in Municipio aut Coloniâ: qui enim Romæ Senatores, in municipiis aut Coloniis dicebantur Decuriones.

Deductores. vid. *Candidatus.*

Delphinus. vid *Circus.*

Delubrum, locus, in quo Dei ſimulacrum dedicatum erat, uti locum, in quo candelam figebant, *Candelabrum* vocabant: vel locus, ante Templum à *deluendo* ſic dictus, ubi aqua decurrebat ad manus abluendas. Nonnulli *Delubrum* ajunt dictum eſſe fuſtem quendam decorticatum, quem pro Deo antiqui venerati ſint.

Demenſum, (Scribunt alii dimenſum) id, quod ſervis ſingulis menſibus dabatur ad victum. Græcè Σιτομέτριον. Donatus ad Act. 1. Sc. 1. Phorm. *quaternos*, inquit, *modios*

frumenti ſervi accipiebant in menſem, & id demenſum dicebatur; utrum à menſe, an à metiendo, incertum eſt; à *demetiendo* dictum eſſe vero videtur ſimilius.

Denicales feriæ. vid. *Funus.*

Denunciator. Denunciatores Regionum ab Auguſto inſtituti ſunt, qui, quicquid Regioni tam publicè, quàm privatim accideret, denunciarent.

Deſignator, qui funebri pompæ conſtituendæ præerat, unicuique incedendi locum ordinemque præſcribens.

Deunx. vid. *Pocula.*

Devotio. Si gravius periculum immineret, neque Dii placati viderentur; unus aliquis ex Romanis, ſeſe pro exercitu ſuo, & ſimul exercitum hoſtium devovebat: quod ſi is homo, qui devotus eſſet, moreretur, probè factum videbatur; ni moreretur, tum ſignum ſeptem pedes altum, aut majus, in terram defodi, & piaculum hoſtiâ cædi oportebat. Ita Decius Conſul ſe devovit hoc ritu: Pontifex eum togam prætextam ſumere juſſit, & velato capite, manu ſubter togam ad mentũ exſertâ, ſuper telum ſubjectum pedibus ſtãtem ſic dicere: *Divi, quorum eſt poteſtas noſtrorum*

rum hoſtiumq; Diiq; Manes, vos precor, veneror, veniam peto, feroque, uti populo Romano Quiritium victoriamq; proſperetis, hoſteſq; populi Romani Quiritium terrore, formidine, morteque afficiatis; ſicut verbis nuncupavi, ita pro Republ. Quiritium, exercitu, legionibus, auxiliis populi Romani Quiritium, legiones auxiliaq; hoſtium mecum Diis Manibus Tellurique devoveo. Hæc ita precatus, armatus in equum inſiluit, ac ſe in medios hoſtes immiſit. Diis etiam Tutelaribus evocatis, Dictatores aut Impp. Urbes exercituſq; ſic devovebant: *Dis Pater, Vejovis, Manes, ſive Vos, quos alio nomine fas eſt nominare, ut omnes illam Urbem Carthaginem exercitúmq; quem ego me ſentio dicere, fugâ, formidine terroréq; compleatis, quiq; adverſus legiones exercitúmque noſtrum arma telaq; ferent, uti vos eum exercitum; eos hoſtes, eoſq; homines, urbes, agroſq; eorum & qui in his locis regionibuſq;, agris urbibúſve habitant, abducatis, lumine ſupero privetis, exercitumq, hoſtium, urbes agroſq; eorum, quos me ſentio dicere, uti vos eas urbes agroſque, capita ætateſq; eorum devotas conſecrataſq; habeatis illis legibus, quibus quandoq; ſũt maximè hoſtes devoti eoſq; ego vicarios pro me, fide Magiſtratuq; meo,*

pro populo Romano, exercitibus, legionibusq; noſtris do, devoveo, ut me, meamq; fidem, imperiumqué, legiones, exercitumq; noſtrum, qui in his rebus gerúndis ſunt, benè ſalvos ſinatis eſſe; ſi hæc ita faxitis, ut ego ſciam, ſentiam intelligámq, tunc quiſquis hoc votum faxit, ubi faxit, rectè factum eſto, ovibus atris tribus, Tellus Mater, teque Jupiter obteſtor.

" Cum Tellurem dixit, manibus tergum " tangit, cum Jovem dicit, manus ad cœ- " lum tollit, cũ votũ recipere dicit, mani- " bus pectus tangit. Màcrob. lib. 3 Sat. c. 9.

Deus. Nonnulli derivant hanc vocem à *dando*; quod Deus *det omnia*; alii à Græco θεὸς, atque ita *Deus* dictus vel ἀπὸ τῆ δείδω; à timore; hinc Statius.

Primus in orbe Deos fecit timor;

vel ἀπὸ τῆ θεάω, à videndo, quia ſolus Deus eſt, ὃς

πάντα νοεῖ, καὶ πάντ' ἐφορᾷ, καὶ πάντ' ἐνακούει.

Unde Ægyptii Deum ſignificaturi oculum pingebant; vel ἀπὸ τῆ θέειν, à currendo, quia gentilium plurimi Solem, Lunam cæteraq; quæ in perpetuo motu verſantur, Numinum loco habebant; vel ab Hebræo יכל *ſufficiens*. Conf. Lexicon Martinii. Deos *Patella*

tellarios & *Ollares* ex Plauto dicere possumus, quorum potestas minor erat & autoritas. Cicero Deorum tres ordines facit: *Alii*, inquit, *Cœlestes semper sunt habiti alii, quos merita in cœlum vocârunt, alii, propter quos hominibus datur adscensus in cœlum.* Unus Deus est κατ' ἐξοχὴν. Multi κατὰ χάριν, ut Angeli & Magistratus. Plurimi Dii κατὰ ψευδος, ut idola Gentilium. Ægyptus olim canes, feles, & nescio quid non coluit. Juven. Sat. 15.

——— *Quis nescit, qualia demens*
Ægyptus portenta colat? Crocodilon adorat,
Porrum & cepe nefas violare & frangere morsu.
O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis
Numina!

Dii Selecti, sive *Consentes*, quibus velut Cõsiliariis Jupiter in rebus maximis agendis utebatur, hôc Ennii distichô comprehensi:

Juno. Vesta. Miuerva. Ceres. Diana. Venus. Mars.
Mercurius. Jovis. Neptunus. Vulcanus. Apollo.

Dii Indigetes sive *Semones*, qui ex hominibus Dii facti, vel quos merita in Cœlum vocârunt, ita dicti, quòd *nullius rei egerent*, vel quòd *in Diis agerent*, quales Hercules, Castor, Pollux, alii, *Diana*,

Diana, Jovis filia, soror Apollinis, vel ἀπὸ τοῦ Διὸς, à Jove sic dicta, vel quasi, *Deviana*, quòd per devia vagaretur, venatrix Dea, vel quasi *Dea Jana*, quæ Luna est. *Dianæ Ephesinæ Templum*, toto olim orbe celeberrimum, Herostratus incendit, ut nomini suo immortalitatem aliquam compararet. Quanquam autem Ephesii lege & edicto caverunt, ne quis hominem tam profligatæ malitiæ nominaret, tamen aliqua ejus memoria, licèt parum laudata, ad posteros est transmissa. *Venationis*, uti dixi, Dea, Diana. Horat. Od. 22. l. 3.

Montium custos nemorúmque virgo,
Quæ laborantes utero puellas
Ter vocata audis, adimísque letho
Diva triformis.

Ab Orpheo dicta κουροτρόφος. Eadem *Dictynna*, à retibus venatoriis, quæ Græcè δίκτυα nominantur *Trivia*, quod in viis ponebatur cum coronâ quernea, quódq; à triplici potentia triplex erat nomen sortita, in cœlo *Luna*, in terris *Diana*, apud inferos *Hecate*. Parturientibus præerat, & hinc dicta *Ilithyia*. Horat. in Carm. Sec.

Ritè maturos aperire partus
Lenis Ilithyia, tuere matres:

Dicta-

Dictator. Nomen illi, vel quòd *diceretur à Conſule*, cujus dicto omnes audientes eſſent; vel à *Dictando*, quòd crebrò diceret edicerétq; , quæ eſſent ex uſu, Idem *Magiſter Populi* & *Prætor Maximus* vocabatur. Magiſtratus erat extraordinarius, cujus poteſtas ſumma erat; unde Dictatorem Græci Δικτατορ dixerunt, quod duorũ Conſulum jus omne in unum eſſet tranſlatum. Cauſa prima Dictatoris eligendi fuit ſeditio & bellum gravius; unde fere legebatur cum hoc titulo: *Rei gerendæ cauſa*, vel *Seditionis ſedandæ cauſa*. Non autem ſuffragiis populi, ſed Senatu jubente à Conſule dicebatur, qui noctu auſpicatò aliquem è Conſularibus, quem ſibi cunq; viſum eſſet, nominabat. XXIV. Faſces cum totidem ſecuribns illi præferebantur. Imperium Dictatoris *ſemeſtre* fuit, quanquam Sulla & Cæſar Dictaturam perpetuam invaſêre; neq; licebat Dictatori equum, niſi ad bellum ituro, conſcendere, neq; ſumptus ex ærario facere, ſine SCto & populi juſſu.

Dies, Diei partes hæ erant: 1. Media nox. 2. Media noctis inclinatio 3. Gallicinium. 4. Conticinium, quod & galli conticeſcerent, & hominés etiam tùm quieſcerent. 5. Dilu-

Diluculum, cum incipit dignoſci dies. 6. Manè. 7. Ad meridiem. 8. Meridies. 9. De meridie, ſive tempus pomeridianum. 10. Solis occaſus ſive ſuprema tempeſtas. 11. Veſpera. 12. Crepuſculum. 13. Prima fax, cum lumina accendebantur. 14. Concubia nox, cum itum eſt cubitum. 15. Nox intempeſta, cum nullum agendi tempus eſt, quod & ſilentium noctis dicitur, ad mediam noctem. Romani diem *à mediâ nocte* auſpicabantur. Varro: *Homines, qui ex mediâ nocte ad proximam mediam noctem his horis viginti quatuornati ſunt, uno die nati dicuntur.* Athenienſes à Solis occaſu ad Solem iterum occidentem omne id tempus medium unum diem dixêre. Babylonii ab ortu Solis ad ortum; Umbri à meridie ad meridiem Macrob. l. 1. Satur. c. 3. Et hic erat dies *civilis*. *Naturalis* autem dies vocabatur tempus ab oriente Sole ad Solis occaſum, cujus contrarium erat tempus Nox. Totum hoc Solis ſpatium ab ortu ad occaſum toto anni tempore in XII. erat diviſum partes dictas *horas diei*, & hæ erant inæquales, longiores diurnæ æſtivæ, breviores brumales; hinc inventa horologia *Scioterica* & *Solaria*, in quibus

Gnomon

Gnomon Soli oppoſitus umbrâ in lineas incidente horas oſtendebat; cum autem Sole ſub nubibus latente incertæ diei horæ eſſent, primus Scipio Naſica clepſydras commentus, aqua diviſit horas æquè noctium ac dierum: Diem naturalem Romani inchoabant ſalutationibus, commeſſationibus claudebant. Prima & ſecunda ſalutationi, tertia forenſibus actionibus, quarta & quinta vario labori; ſexta & ſeptima quieti, octava palæſtræ, nona Cœnæ dicata erat; Quo de elegans extat Epigramma apud Martial. l. 4.

Prima ſalutantes atq; altera continet hora,
Exercet raucos tertia Cauſidicos.

Et paulo poſt:

Imperat extructos frangere Nona toros.

Dies feſti, qui Diis dicati; *Profeſti*, qui hominibus ad ſua conficienda negotia cōceſſi erant. *Interciſi*, vel, ut Veteres loquebantur, *Endoterciſi*, Deorum hominumque communes: quibuſdam enim horis fas erat, quibuſdam fas non erat jus dicere.

Dies Faſti, quibus Prætori fari licebat tria verba ſolennia: *Do. Dico. Addico. Nefaſti* quibus id non licebat. *Nefaſti primô*, quibus horis quidem matutinis jus dicere non

non licebat, pomeridianis licebat. *Comitiales*, quibus cum populo agi licebat. *Comperendini*, quibus vadimonium juberi licebat. *Stati*, controversiæ cum peregrino finiendæ caussâ constituti. *Præliares*, quibus fas est res repetere & hostem lacessere. *Jusii*, triginta dies, qui debitoribus sunt dati pecuniæ conquirendæ causâ, quam dissolverent, quibus diebus nihil cum his jure agi poterat. *Atri*, dies infausti & infelices, ut postridie Calendas, Nonas, Idus, &c. quibus Romani insigni clade sunt affecti. Aliàs etiam *nigra* omnia infausta atq; improba habebantur. Notum illud Horat. in Sat.

— *hic niger est, hunc tu, Romane, caveto.*

Et alibi: *cretâ, an carbone notandi*; id quod fortassis inde est, quod prisci nigris albísq; calculis judicârunt. Ovidius.

Mos fuit antiquis niveis atrísque lapillis,
His damnare reos, illis absolvere culpâ.

Ita in sententiis Pythagoræ legitur: μὴ χύσθαι μιλανύρων, ne gustes, qui habent nigrantes caudas. Plutarchus id ita exponit: ne cum hominibus consuetudinem habeas, quos morum depravatio ipsa denigrat. Sed de diverticulo in viam. *Inominati*, ut

ante

ante quartum Calendas, Nonas, Idus, Feriæ item Latinorum, quibus induciæ olim inter populum Romanum Latinóſq; firmatæ ſunt: Saturnaliorum, quia Saturnus ſine ullo tumultu bellico imperâſſe creditur: Feſtum etiam Ditis ac Proſerpinæ, quia tum mundus, & inferorum quaſi janua patet. Juſti, Atri, Inominati *non præliares* dicebantur.

Dieſpiter. vid. *Jupiter.*

Diludia, Cum medii ludi alio ſpectaculi genere interrumpuntur & quaſi diffinduntur; moris enim erat, ut in media ſæpè Comœdia vel Tragœdia, Spectatores Venationem aut paria aliquot Gladiatorum, hoc eſt, Diludia, tædii levandi ergò, poſcerent.

Diminutio Capitis, erat prioris Status mutatio, eáq; triplex: *Maxima*, cum aliquis Civitatem ſimul & libertatem amittebat. *Minor*, cum Civitas quidem amittebatur, Libertas verò retinebatur. *Minima*, cum civitas & libertas retinebatur, ſed ſtatus honoris commutabatur.

Dionyſius. vid. *Bacchus.*

Diribitores. vid. *Comitia Centuriata.*

Dis. vid. *Pluto.*

Diſcus

Discus, lanx sive vas latum ad portandas carnes aptum, unde natum proverbium: *Discum audire mavult, quàm Philosophum.* Aliàs est moles saxea, plumbea aut ferrea, cujus jactu juvenes inter se certabant, & Victor evadebat, qui longius aut altius proiecisset.

Divortium, est conjugum separatio, vel Matrimonii dissolutio: permissum enim erat viro ob adulterium, veneficia, aliásque causas uxorem dimittere. *Repudium* Sponsæ remittebatur: *Divortium* cum Uxore fiebat. Formula Repudii hæc erat: *Conditione tuâ non utor.* Divortii: *Res tuas tibi habeto, res tuas tibi agito.* Cum uxorem quis repudiare volebat, præsens eam exturbabat ædibus, vel per nuntium absenti libellum mittebat, fractis ruptísve tabulis, quas vocabant *dotales* aut *nuptiales*, ut etiam novæ Nuptæ intranti domum mariti claves tradebantur, tanquam dominii in familiam argumentum: ita divertenti claves adimebantur ultimò. Causæ divortii erant multiplices: *Morositas Eterositas*, etiam *Forma immutata.* Juven. Sat. 6. v. 145.

Tres

Tres rugæ ſubeant, & ſe cutis arida laxet,
Fiant obſcuri dentes oculique minores,
Collige ſarcinulas, dicet Libertus, & exi,
Jam gravis es nobis, & ſæpe emungeris, exi.

Sulpitius Gallus cum uxore divortium fecit, quod eam foris nudo capite converſatam comperiſſet. Q. Antiſtius Vetus divortium remiſit uxori, quod cum libertina quâdam vulgari ſecretò fuiſſet collocuta. Cicero Terentiam ſuam repudiavit, ut ait Plut. in Vitâ Cicer. & virginem duxit prædivitem, ut ærialieno eſſet ſolvendo: ſed & huic, eò quod obitu Tulliæ filiæ lætata videretur, dedit repudium. Sempronius uxorem dimiſit, quod ludos, ſe ignorante, ſpectâſſet. Vid. Th. Dempſt. ad l. 5. Antiq. Roſ. c. 38.

Dolabra, inſtrumentum, quo ligna dolantur. vid. & *Machinæ*.

Domiducus, Deus colebatur, cum domum deducenda erat, quæ nubebat.

Duumviri, primùm, poſt Decemviri, tandem Quindecimviri conſtituti ſunt, qui oracula Sibyllina, quæ à Sibylla Cumana ad Tarquinium Priſcum allata, in Capitolii cellâ ſubterraneâ, in arcâ quâdam lapideâ aſſervabantur, cuſtodiebant, & in rebus dubiis juſſu Populi conſulebant. *Dux*

Dux Exercitus. Duces exercitus apud Romanos primùm fuerunt Reges, deinde Consules, Dictatores, Prætores, Proconsules, &c. Hi *suis auspiciis* bellnm gerere dicebantur: Legati, Magistri Equitum, & cæteri inferioris ordinis, non suis, sed alienis auspiciis pugnabant. Institutum enim vetus fuit, ut nihil neq; domi, neq; militiæ, nisi auspicâtò gereretur; auspicia verò in exercitu unius fuerunt Imperatoris; cæteri auspiciis ejus pugnare dicebantur In castris autem adhibebantur duo auspiciorum genera, unum *Coactum*, quod appellârunt *Tripudium*, de quo suo loco: Alterum ex *Acuminibus*, quod, quale fuerit, incompertum. Taubmannus in Epid. Act. 2. Sc. 2. ad verba Epidici, *Acutum cultrum habeto*, addit, non temerè dictum esse, censeri debet. Sumpta autem metaphorâ à superstitione militum, qui non satis habentes, aves observâsse, insuper an gladii hastæve probè forent acutæ, sollicitè explorabant ante pugnæ initium, inde etiam aliquid ominis captantes, atq; hoc, *Ex acuminibus auspicari*, dicebant.

E.

E *Dictum.* Consulum aut Prætorũ manda-

ta

ta Edicta vocantur. *Edictum Peremptorium*, quod postabscentiam Adversarii, tribus vicibus citati, à Prætore Actor impetrabat, quo prætor comminabatur, etiam absente adversâ parte, cogniturum se & pronunciaturum; quod si contempsisset reus, contumaciæ damnabatur. Nomen inde sumpsit, quòd perimeret disceptationem, hoc est, ultra non pateretur adversarium tergiversari.

Educa sive *Eduſa*, Dea, quæ escam infantibus præbebat.

Eleutheria, Festa, quæ celebrantur à Græcis in honorem Jovis Eleutherii, *Liberatoris*, quem & Σωτῆρα vocabant. Alii ea celebrata dicunt à servis libertate donatis, idque colligunt ex loco Plauti in Perſ. Act. 1. Sc. 1. *Basilicè agito Eleutehria* i. e. regium in morem vivens ob libertatem, quam nactus es, festas dies agito.

Emancipatio. vid. *Mancipatio.*

Encombomata & *Parnacides*, genera erant vestium puellarium.

Enyo, Dea belli, eadem, quæ Bellona, cujus Sacerdotes Bellonarii, non alieno sed suo sanguine sacrificabant, sectis humeris, & utraq; manu districtos gladios exercētes,

rioſi diſcurrebant, undè à Martiale dicitur *turba entheata Bellonæ*. Hinc inter *Deos communes* collocat Servius ad l. 12. Æn. *Dii communes* ſunt, ut alii dicunt, Mars, Bellona, Victoria, quia hi in bello utrique; parti favere poſſunt. Contrariam illi Numen erat *Pauſus*, eò quod quies & otium, cui ille præeſt, bello adverſetur. Eadem auriga Matris Stat. l. 7. verſ. 71.

——— *regit atra jugales*
Sanguineâ Bellona manu

Epulones Triumviri primùm, pòſt Septemviri, qui Jovi cæteriſq; Diis epulas inſtruebant. Scilicet in ipſis Templis interdum Diis, præcipuè Jovi, Junoni, Minervæ, tanquam epulaturis, lecti ſternebantur, unde *Lectiſternium* dictum eſt, & ad epulas ſolenni ritu invitabantur.

Equiria, Feſta ab *equorum curſu* ſic dicta, die 27. Februarii celebranda, cum equi in Campo Martio, inſtituto Romuli, exercebantur.

Equuleus, cataſta lignea cochleata, ad intendendum ac remittendum apta, ad torquendos noxios conſciósve, ut veritas eliceretur, inſtituta. Ubi cataſtæ huic brachia pedeſque ejus, qui torquendus erat, nervis

nervis quibuſdam, quæ *fidiculæ* dicebantur, alligaverant, cataſtâ intentâ miſer quaſi ex cruce pendebat, ita non compagem tantùm oſſium divellebant, ſed candentibus etiam laminis corpori admotis, doloris acerbitatem augebant. Hic *Stipes noxialis* eſt Prudentio, *Lignum tortorium* Sozomeno.

Eſquilinus mons. Eſquiliæ, vel ut alii ſcribunt *Exquiliæ*, nomen habet ab *excubiis* ibi conſtitutis, vel ab *excolendo*, quòd anteà neglecta ea pars Urbis à Tullo Hoſtilio fuerit exculta. Ab hoc monte porta dicta eſt *Exquilina*, extra quam & portam *Metiam* ſupplicia apud Romanos ſumi ſolita, ne frequenti cæde ac ſanguine contaminari oculi civium, aut delibari videretur libertas, quapropter etiam carnificis domus extra Urbem fuit.

Evander, Carmentæ filius, quem ob ſũmam ſapientiam Aborigines in Deorum numerum retulerunt.

Eumenides. vid. *Furiæ.*

Evocatio Deorum. Romani Urbem aliquam oppugnaturi, certo carmine Deos Tutelares evocabant. *Si Deus, ſi Dea es, cui populus civitaſque* v. g. Carthaginenſis *eſt*

in tutelâ teque maximè illum, qui urbis hujus populique tutelam recepisti, precor venerorq;, veniamque à vobis peto, ut vos populum civitatemque Carthaginensem deseratis, loca, templa, sacra, urbemque eorum relinquatis, absque his abeatis, eique populo civitatique metum, formidinem, oblivionem injiciatis, pronique Romam ad me meosque veniatis, nostraq; vobis loca, templa, sacra urbs acceptior probatiorque sit, mihique populoque Romano militibusque meis præpositi sitis, ut sciamus intelligamusque. Si ita feceritis, voveo vobis templa ludosque facturum. Hinc ipsi Romani tum Deum, in cujus tuela urbs erat, tum Urbis latinũ nomen ignotũ esse voluerunt.

Evocatio. vid. *Militia.*

Euripus, aliàs fretum dicitur, inter Aulidem, Bœotiæ portum, & Eubœam insulam, septies die ac nocte reciprocans; unde de homine inconstante ac nimis mobili ingenio dicitur, quod sit *Euripus*; item de fortunâ, quæ *passibus errat ambiguis*, &, ut ait Horat. Od. 29. l. 3. Carm.

Transmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc alii benigna.

Ita & *Fossæ Euripi* dicebantur decempedali profunditate & latitudine, quibus Circus cingebatur.

Excubiæ.

Excubiæ. Hæ tam diurnæ, quàm nocturnæ erant, *vigiliæ* tantùm nocturnæ. Excubantium pars ante tentorium, pars post illud agebat: & hi erant quasi custodes quidam Tribunorum, aut Apparitores. Imperatori unus ex omnibus manipulis in diem excubabat. Excubiæ etiam ad portas & vallum agebantur. Romanus autem mos fuit, totas cohortes & turmas habere, & ponere ante ipsas portas, non unum alterumve militem, ut hodiè solet; id vocabant *Stationes.*

Exilium. Antiquitùs condemnatis ad mortem, ipsam mortem evadere licebat, si in voluntarium exilium concederent. Hinc Cic. pro Cæcinn. *Exilium*, inquit, *non supplicium est, sed perfugium portusque supplicii.* Ita Scipio in voluntario exilio moriens, etiam reliquias suas Roman deportari noluit, sed suo adscribi voluit tumulo: *Ingrata patria ne ossa quidem mea habes.* Postea. v. exilii pœna irrogari cœpit. Erat autem Exilium *triplex:* aut *certorum locorum interdictio, aut lata fuga*, ut omnibus locis interdiceretur, præter certum locum, aut *Insulæ vinculum* id est relegatio in Insulam. Franc. Pollet. l. 5. Hist. For.

Rom. c. 19. Apud Græcos in uſu erat *Oſtraciſmus* ἀπὸ τῶν ὀστράκων, à teſtulis in quibus ſuffragia ſcribi ſolebant. Erat autem Athenis *Oſtraciſmus*, ſi quis juſſu populi per decennium ab urbe cogeretur abeſſe, cujus potentia & gratia & opes ſuſpectæ erant. *Teſtulæ* erant loco calculorum, quibus ſuffragium teſtabantur. *Neque hoc erat cum ignominiâ exigi*, ut ait Scaliger, *ſed potius cum honore dimitti*, *neque pœna erat, ſed gratiæ imminutio.* Vid. Mart. Martin. Lex. Philol.

Expeditio. Ea hoc ordine peracta eſt. Ubi Dux imperium à populo acceperat, bellumque ipſi commiſſum erat, in Capitolium ibat, ſolennia vota pro Republicâ nuncupabat, paludamento, lictoribus, cæteriſque Imperii inſignibus aſſumptis, rectà ad portam Urbis contendebat; ad quam ſalutatus, Amicis officii cauſſa ad unum alterúmve lapidem proſequentibus ac benè ominantibus, ad bellum proficiſcebatur. Servius in 8. Æn. annotat, moris fuiſſe, ut Martis ſacrarium ingreſſus primo *Ancilia* commoveret, poſt haſtam ſimulachri ipſius, diceretq; „*Mars vigila*. Milites legionarii præter ſcutũ, gladium, galeam cæteraq;

arma

arma, geſtabant vallum, & integri menſis cibaria.

Expoſitio liberorum. Et Græci & Romani liberos, quos educare nolebant, vel necabant, vel in ollis, corbibus, aut vannis alienæ miſericordiæ exponebant, modò flumine mergebant. modò in deſerta & avia abjiciebant. Moris etiam erat, ut exponendis liberis de paternis aliquid bonis apponeretur, ut aurum, gemmæ, annuli, monilia; & hæc à Comicis vocantur *Crepundia*, græcè γνωρίσματα, nempe, ut ſi quis partum tolleret, haberet educationis præmia; ſi moreretur, non deeſſent ſepulturæ ſumptus. vid. Ter. Act. 4. Sc. 1. Heaut. Sebaldus verè: *Fuit*, inquit, *hæc immanitas in veterum moribus notabilis, ut, cum fera nulla ſit, quæ fœtus ſuos non diligat, eos recens natos aut interficere, aut exponere fas putarent, non aliter ac Friſii vitulos, ſi fœtura numerum ſupplêſſet.* Quare rectiſſimè S. Paulus Rom. 1. 3. Ethnicos vocat ἀστόργους. Ita Romulum & Remum, Urbis Conditores, expoſitos, à lupâ infantium vagitum ſecutâ enutritos eſſe ferunt. Ovid. 2. Faſt.

Lacte quis infantes neſcit creviſſe ferino?

Et Propertius:

Nutritus duro, Romule, lacte lupæ.

Extispicium: extorũ inſpectio. vid. *Haruſpex.*

Exverræ feriæ. vid. *Funus.*

F.

F*Abulinus*, Deus, quem invocabant, cum puer fari auſpicabatur.

Falſi crimen. Eo nomine complectebantur Romani omnia, quæ falſo dicta, ſcripta, aut facta eſſent in alterius damnum. v. g. qui Teſtamentum amoviſſet, aut celâſſet, aut falſum ſcripſiſſet, Judicem corrupiſſet, nummos aureos raſiſſet, aut adulterinos flaviſſet, &c. ei damnato aquâ & igni interdicebatur.

F*alx muralis.* vid. *Machinæ.*

F*anum*, locus Diis ſacer, vel à *fando* ſic dictus, quòd, dum Pontifex eum dedicat, certa verba fatur; vel à F*auno* Rege, quod is primus omnium Fana condiderit.

F*aſces*, vid. *Rex.*

F*aunus.* Aboriginum Rex, Pici fil. à quo deſcenderunt agrorũ ſylvarúmq; Dii, F*auni*,

F*ebris.* Febrim Deam, ne noceret, Romani colebant.

F*ebruarius*, Menſis, nomen habet à F*ebruo*, Deo luſtrationũ, cui à Numa dicatus erat: eo enim menſe luſtrari Civitatem neceſſe erat

erat; *Februa* dicebantur, quæcunq; purgamenti cauſa in ſacrificiis adhibebantur.

Fecialis, à *faciendo* dictus Legatus Romanus, penes quem belli pacíſq; faciendæ ius erat. Hic res repetebat, fœdus feriebat pacem ſuadebat, eáque non impetrata bellum indicebat hoc modo: E collegio Fecialium unus quiſpiam electus, veſte auguſtiore indutus, ad infeſtorum hominum agrum profectus, Jovem cæteroſque Deos invocans, teſtatur à Romanis ſe venire, juſque ſuum petere. Ut fines ingreſſus eſt, obvium quemcunque nactus eſt, idem teſtatur, inde in forum procedit, ibique ſtans Magiſtratui adventus ſui cauſam indicat; quod ſi ſatisfaciant, ab amicis amicus diſcedit; quod ſi tempus ad deliberandum petant, poſt decem dies revertitur, idque tertio. Elapſis triginta diebus, niſi impetraret jus ſuum, obteſtatus ſuperos atq; inferos diſcedebat, hoc tantùm profatus, ſuper eâ re populum Romanum per otium deliberaturũ. Hinc Senatui renunciavit, omnia ſe ritè executum, &, ſi velint bellum decernere, licere id ipſis per Deos. Quod ſi bellum ſit indicendum, ubi ad fines eorum venit, unde

res

res repetuntur, capite velato, *Audi Jupiter*, inquit, *audite fines* (cujus gentis ſint, nominat) *audiat fas. Ego ſum publicus nuncius pop. Romani, juſtè piéq, Legatus venio, verbíſq; meis fides ſit*; inde peragit poſtulata, Jovem teſtem facit: *ſi ego injuſtè impiéq; illos homines illáſq; res dedier populo Romano mihíq; expoſco, tum me patriæ compotem nunquam ſinas eſſe.* Eadem peragit, cum fines attigit, cum obvius quiſquam fit, ſub portis, in foro. Si non deduntur, quas res expoſcit, diebus tribus & triginta (nam hi ſolennes ſunt) peractis bellum ita indicit: *Audi Jupiter & tu Juno, Quirine, Dilque omnes cœleſtes, vóſque terreſtres, vóſque inferi audite: Ego vos teſtor, populum illum* (quicunq; eſt, nominat) *injuſtum eſſe, neque jus perſolvere; ſed de iſtis rebus in patria majores natu conſulemus, quo pacto jus noſtrum adipiſcamur.* Quod ſi Senatus populúſque Rom. bellum decerneret, nuntio Româ reverſo Fecialis, ſive Paterpatratus (*Paterpatratus* Fecialium antiſtes, à jurejurando patrando i.e. ſanciendo ſic dictus) haſtam ferream aut ſanguineam præuſtam ferebat, & non minus tribus puberibus præſentibus ita dicebat: *Quod populi priſcorum*

La-

Latinorum, hominésq; prisci Latini, adversus populum Romanum Quiritium fecerunt, deliquerunt, quod pop. Rom. Quiritium bellum cum priscis Latinis jussit esse, Senatúsq; populi Romani Quiritium censuit, consensit, conscivit, ut bellum cum priscis Latinis fieret; ob eam rem, Ego populúsq; Rom. populis priscorum Latinorum hominibúsque priscis Latinis bellum indico facióq; id ubi dixisset, hastam vel telum in fines eorum emittebat. Fœderis percutiendi ritus hic fuit. *Fecialis* Regem Tullum rogavit: *Jubésne me Rex, cum Patrepatrato populi Albani fœdus ferire?* jubente Rege, *Sagmina*, inquit, *te Rex posco.* Rex ait: *Pura tollito.* Fecialis ex arce graminis herbam puram attulit, postea Regē ita rogavit: *Rex facísne me tu Regium nuntium populi Rom. Quiritium vasa comitésque meos?* Rex respondit: *Quod sine fraude meâ populíque Romani Quiritium fiat, facio.* Hinc fecialis Patrem patratum, qui jusjurandum patret, facit, verbena caput capillósq; tangens; fœdus ipse pluribus verbis peragit, legibus deinde citatis: *Audi*, inquit, *Jupiter, audi Paterpatrate populi Albani, audi tu populus Albanus, ut illa palàm prima postrema ex illis tabulis cerâve recitata*

citata ſunt, ſine dolo malo, utiq; ea hic hodiè rectiſſimè intellecta ſunt, illis legibus populus Romanus prior non deficiet. Si prior defexit publico conſilio, dolo malo, tu illo die Jupiter populum Romanum ſic ferito, ut ego hunc porcum hodiè feriam, tantoq; magis ferito, quantò magis potes polleſq;. Id nbi dixit, porcnm ſaxo illice percuſſit, qui cæſus, cui uſui ſuerit incertum. Veteri quidem Religione ſancitum, ne victimâ veſcerentur homines, ſuper quâ juſjurandum conceptum fuiſſet. Homerus a. teſtatur exectum illum ſuem, ſuper quo Agamemnon jusjurandum conceperat, Briſeidem ſe non attigiſſe, in mare à Talthybio Feciali projectum eſſe. Vid. Joſ. Laur. l. 2. Polymath. diſſert. 4. Interdum fœdus percutientes jurabant *Jovem Lapidem*, hoc modo: Fecialis ſumpto lapide, poſtquam de fœdere inter partes convenerat, hæc verba dicebat: *Si rectè ac ſine dolo malo hoc fœdus atque hoc jusjurandum facio, Dii mihi cuncta felicia præſtent, ſin aliter aut ago, aut cogito, cæterisomnibus ſalvis, in propriis patriis, in propriis legibus, in propriis Laribus, in propriis Tẽplis, in propriis ſepulchris, ſolus ego peream, ut*

hic

hic lapis è manibus meis decidet. Nec plura locutus manu lapidem mittebat.

Felicitas. Hæc itidem ædem accepit & aram meruit. Ejus effigies erat fœmina in ſolio ſedens, dextrâ *Caduceum*, ſiniſtra grãde *copiæ cornu* tenens.

Feralia, feſta Diis manibus ſacrata, vel à *ferendis* epulis, vel à *feriendis* pecudibus ſic dicta, celebrabantur d. 21. Februarii. Hoc die Deæ *Mutæ* ſive *Tacitæ* ſacra fiebãt.

Feriæ, aliæ *Publicæ*, aliæ *Privatæ*. Illæ quadruplices 1. *Stativæ*, quæ certis & conſtitutis diebus celebrabantur. 2. *Conceptivæ*, quæ quotannis quidem fiebant, ſed modò hoc; modò illo tempore, ut Magiſtratui videbatur. 3. *Imperativæ*, quæ quotannis fieri non conſueverant, ſed propter valetudinem Principis, aut ob imminens periculum à Magiſtratu imperabantur. 4. *Nundinæ*, ruſticæ feriæ, cum nono quoque die ruſtici ad emenda neceſſaria in Urbem conveniebant. Feriæ publicæ indicebantur & proclamabantur ſingulis in menſibus à Prætore, ut omnes à negotiis forenſibus vacarent, & à Rege Sacrorum, ut ritè ſacra peragerentur.

Feriæ privatæ, quas quæq; familia obſervabat

bat, ut *dies natalis*, *feriæ denicales*, quibus hominis mortui causâ familia purgabatur. Fuerunt & *feriæ stultorum* die 17. Februar. de quibus vid. Ovid. l. 2. Fast.

Feronia, Campaniæ Nympha, de qua Virgil. l. 7. Æn. vers. 800.

— *viridi gaudens Feronia luco.*

Libertorum etiam Dea, in cujus Templo raso capite pileum, libertatis insigne, accipiebat. Tarracinæ in Templo hujus sedile lapideum fuit, in quo hic versus incisus erat: *Bene meriti servi sedeant, surgent liberi* Hæc Serv. Comment. in VIII. Virgil. Æneid.

Fescennini, vid. *Nuptiæ*.

Fides, albo velata panno (Horat. Od. 35. l. 1.) divinos honores meruit, & ædem ei sacravit Numa Pompilius.

Fiscus. Fisci, fiscinæ, fiscellæ, spartea sunt utensilia ad majoris summæ pecunias capiendas, unde & publicus thesaurus *Fiscus*, & qui ei præest, *Advocatus Fisci* dicebatur. Est autē *Fiscus* Principis, *Ærarium* populi.

Fistulæ Amphitheatrales, in imo & summo Amphitheatro erant dispositæ, eâ arte & fine, ut odoratum quendam humorem, præcipuè ex croco vino diluto, ejacularentur

rentur, leviter & inſpergerent in ſedentes. Hi Poëtis dicuntur *Imbres odorati*.

Flammeum. Genus veli lutei ſeu crocei, quod novæ Nuptæ geſtabant boni ominis cauſa, propterea quod eo aſſidue utebatur Flaminica, ſeu flaminis uxor, cui divortium facere non licebat.

Flamen. *Flamines* Sacerdotes fuerunt à Numa inſtituti, initiò tres, tandem quindecim, ſic dicti à *filo*, quo caput cinctum habebant, quaſi F*ilamines*. Pileus, quem geſtabant, *flammeum* dicebatur, deſinebat in conum, hinc *Apex* dictus; ſummum faſtigium vocabant *Tutulum*; infra mentum amenta pileum retinebant. quæ erant *Offendices*. Solius Flaminis Dialis pileus *Albogalerus* dicebatur.

F*lamen Dialis*, ſummus Flaminum, qui Jovi aſſiduè ſacra faciebat. Ille equo non vehebatur, annulo non utebatur, nunquam jurabat, ſi quis ad pedes ejus ſupplex accidiſſet, eum eo die verberari fas non erat, unguium ejus & capillorum ſegmina terrâ operiebantur, hederam, fabam, carnem crudam nec tangebat. Gellius l. 10. c. 15.

F*lamen Martialis*, in honorem Martis: *Quirinalis*, in honorem Quirini inſtitutus. Singulis

culis etiam Imperatoribus inter Divos relatis Flamen datus est.

Flamines Majores, qui ex Patriciis, *Minores*, qui ex Plebeiis creabantur.

Flaminicæ, uxores Flaminum; *Flaminii* ministri. *Flaminius Camillus*, puer ingenuus, patrimus & matrimus, qui Flamini Diali ad sacrificia præministrabat. *Flaminia puella* patrima & matrima, quæ Flaminicæ Diali ministrabat.

Flora, quæ & *Chloris*, florum Dea, Zephyro nupta, id muneris loco dotis à marito accepit, ut florum haberet potestatem.

Florales ludi, in honorem Floræ IV. Cal. Maii. instituti, ut omnia benè defloresceret. Hi ludi celebrabantur cum omni lasciviâ & petulantiâ, noctu accensis facibus; introducebantur etiam funambuli. Floralia hæc festa non à Flora, florum Deâ, sed à *Flora*, meretrice notissimâ, dicta sunt, in quibus mulieres impudicæ posito cum veste pudore, florali tuba commissæ armis certabant gladiatoriis, choreas agitabant, discurrebant: ædiles fabas, cicer, aliáque id genus missilia in vulgus spargebant, neque leones, ursi, tygrides, aliáq; ferocitate aut truculentiâ nota animalia exhibita, sed im-

imbelles auritíq; lepores, & hæ erant feræ Floralitiæ.

Fordicidia, die XV. Aprilis festa à *fordis*, id est, prægnantibus bubus, quas eo die in Curiis immolabant, dicta. Pro numero Curiarum triginta boves fordæ mactabantur.

Foricarii, à JCtis appellantur pudendarum sordium lucríq; exercitores aut conductores; sicut Vespasianus Imp. urinæ vectigal commentus est, cujus exemplum & alii secuti sunt.

Fornax, Dea, quoniã ante triticum & ejus usum repertum, far fornacibus torrebatur.

Fornacalia, indictivæ feriæ die 17. Februarii institutæ, farris torrendi gratiâ, cum ad fornacem, quæ in pistrinis erat, sacra fiebant.

Fortuna. Et hanc Superstitio Numen fecit. Plin. l. 2. c. 7. *Toto*, inquit, *mundo & locis omnibus, omnibúsq; horis, omniúmq; vocibus Fortuna sola invocatur, sola laudatur, solu arguitur, sola utrámq; paginam facit.* Verùm ut rectè ait Juvenalis Sat. 10.

Nullum Numen abest, si sit Prudentia, sed te
Nos facimus, Fortuna, Deam, cælóque locamus.

Optimè dixit, qui dixit : *tolle ignorantiam è Perſonis, fortunam de rebus ſuſtuleris.* Homerus in totâ Iliade Fortunæ non meminit, ſed omnia uni Deo regenda committit, utì viri doctiſſimi annotârunt. De eâ Plautus in Pſeud. *Centum doctûm hominum conſilia ſola hæc devincit Dea.* Servius Tullius Sextus, è ſervo Rex Romanus, religioſiſſimè fortunam coluit & ædibus donavit dicta eſt *Obſequens. Dubia. Barbara. Redux*, quam colebant belli Ducibus cum victoria reverſis. Eadem *Hera* ſeu *Domina* ex Ennio apud Cic. l. 1. Off. dicitur. Ex Pacuvio verò apud Autorem ad Herenn. l. 2. Rhet. *Inſana. Cæca. Bruta, ſaxo globoſo inſiſtens, volubilis.* Eandem *Fidei* dedit *comitem*, Horat. l. 1. Od. 35. eo quod *cum fortuna ſtétq; cadátq; Fides*, ut ait Ovidius & C. Petron.

Cum fortuna manet, vultum ſervatis Amici,
Cum cedit, turpi vertitis ora fugâ.

Forum, à *ferendo* dictum, quod eò controverſias, & quæ vendere vellent, conferrent. Forum enim tam locus eſt, in quo judicia exercentur, quàm is, in quo res venales exponuntur. Fora civilibus negotiis

deſtinata

deſtinata fuerunt tria, *Romanum*, quod & antiquiſſimum dicitur, *Cæſaris* & *Auguſti*. Unde Martialis :

Erit in triplici par mihi nemo foro.

Circa forum undiquaque fuerunt tabernæ per pilas diſtinctæ. Tribus his quartum forum adjecit Nerva Imp. quod & *Tranſitorium* dixerunt ; quintum Trajanus, à quo *forum Trajani* & *Ulpium* dictum eſt, omnium pulcherrimum & celeberrimum. Fori hujus porticus excelſis columnis & epiſtyliis impoſita tantam intuentibus admirationem præbebat, ut gigantum potius, quàm hominum opus crederetur. Fora, in quibus ad victum neceſſaria vendebantur, erant *Boarium*, *Olitorium*, *Piſtorium*, *Suarium*, *Cupedinarium*, *Piſcarium*, *&c.* *Fora* etiam loca fuerunt, ubi Prætores in Provinciis juris dicundi cauſa conventum habuerunt.

Fulmen. Fulmina *diurna* Jovi, *nocturna* Summano ſive Plutoni attribuebantur. *Bruta* erant, quæ nullâ ratione natnræ; *Fatidica*, quæ ſtatis de cauſis evenire cenſebantur.

Funus. Cum animam ægrotus exhalabat, qui proximiores erant, ſi domi moreretur,

Spiritum expirantis ore legebant vel excipiebant, morientis oculos claudebant, rursúsq; in rogo patefaciebant. Lege tamẽ cautùm erat, ne parentibus filii *oculos fugillarent*, id eſt, occluderent. Poſt hæc defuncti corpus per intervalla conclamabatur, à propinquis aquâ calidâ abluebatur, & unguentis ungebatur. Qui iſta peragebant, dicebantur *Pollinctores*. Abiutum unctúmq; corpus candidâ veſte induebant; ea in vulgo civium & tacito funere toga *vulgata* fuit, in Magiſtratibus toga *prætexta*, in Cenſoribus *purpurea* tota. Inde in veſtibulo ædium defunctus ad januam ipſam collocabatur, facie pedibúſq; in publicum verſis; quo ſitu poſtremam abitionem ſignificabant. Foribus, maximè ditiorum, apponebatur ramus cupreſſi, quam ob id Horatius *funeſtam* dixit, eo quod arbor illa exciſa non renaſcitur. Septem diebus cadavere in ædibus ſervato, octavo die populus ad honeſtandas exequias per Præconem evocabatur, his verbis: *Exequias C. Titio Lucii filio, quibus eſt commodum ire, jam tempus eſt, ollus ex ædibus efertur*. Funus illud erat *Indictivum*. Convocato populo, lecto conſtrato purpurâ aut lin-

linteis ſplendentibus,&in eo defuncti corpore collocato,poſt ultimam conclamationem tibicine præcedente,qui virtutes & laudes defuncti canebat, quæ erat *Nænia funebris*,funus ſive funeris pompa præcedebat. Et eo modo ditiores efferebantur; tenuiores *capulis* ſive feretris;majoris etiam ætatis funera ad *tubam*, minoris ad *tibias* efferebantur. Tibicines ipſi *Siticines* dicti, quod apud *Sitos* i. e. vita functos & ſepultos canerent. Feretrum deferendi propinquioribus virilis ſexus dabatur munus; Imperatorum autem & Conſularium virorum feretrum viri Senatorii, Prætorii quique ampliſſimâ dignitate functi erant, detulerunt. Dum autem efferebatur, honorum,quos geſſiſſet, inſignia,faſces,ſecures, lictores, dona militaria, coronæ, quas in vita meruiſſet, hoſtium ſpolia, expreſſi cerâ vultus, & decora Majorum totiuſq; familiæ ſimulachra in oblongis perticis, ſive haſtis præferebantur maximo cum apparatu; ſervi manumiſſi præcedebant pileati, ſequebātur liberi,propinqui, amici, lugentium habitu, capillo demtſſo in veſte pulla; filii velatis, filiæ nudis capitibus paſſiſque crinibus incedebant, al-

bis indutæ vestibus. Adhibebantur etiam *Præficæ*, mulieres ad lamentandum pretio conductæ. Quod si defunctus illustris generis aut meritis in Rempubl. fuisset insignis, in forum deferebatur, & filius adultus, aut proximè agnatus, rostra conscendebat, & ad populum circumstantem de factis & virtutibus defuncti verba faciebat: His peractis funus procedebat, dum ad locum veniretur, ubi mortuus vel sepeliendus esset, vel cremandus (liberum enim cuiq; erat vel sepeliri, vel cremari.) Antiquis temporibus quilibet domum referebatur, & in illa sepeliebatur, posteà verò lege cautum est, ne quis mortuum in Urbe sepeliret, aut ureret, exceptis Imperatoribus aut Vestalibus, reliqui vel in agris suis condebantur, aut in viis extra portas tumulos habebant. Locum sepulchro designabant vel Augures, vel Pontifices. Cremando digitus incidebatur, ad quem servatum justa fierent reliquo corpore combusto: quanquam & id lege deinde prohibitum est, nisi quis militiæ aut peregrè mortuus esset. Tum pyræ, in modum aræ constructæ, cadaver imponebatur, & qui defuncto necessitudine proximâ junctus erat,

erat, aversus rogo ardentem facem inferebat. Moris autem erat pyram & cadaver pretiosis liquoribus perfundere, etiam arma, aurum, vestes aliaq; pretiosa rogo injicere, humanum item sanguinem vel captivorum, vel gladiatorum effundere, quæ erant *Inferiæ*; aut etiam mulieres laniantes genas sanguinem effundebant, id quod lege postea vetitum est. Ubi ustulatũ erat cadaver, *rogus*, *bustum* dicebatur, cinerescq; & ossa cado sive urnâ colligebantur amicis & propinquis circumstantibus, qui à Sacerdote ter aquâ purâ conspersi lustrabantur. His perfectis *Præfica* notissimum verbum alrâ voce prænunciabat: *Ilicet*, quod est, ire licet. Quo dicto, qui funus erant comitati, domum redituri supremũ Vale dicebant, hoc modo: *Vale, Vale, Vale: Nos te ordine, quo natura permiserit, sequemur.* Justis peractis convivia domi apparabantut, ad quæ amici & cognati convocabantur. Senibus etiam cœna funebris dabatur, *Silicernium* dicta; imò & populo interdum *Epulum* ab hæredibus defuncti dabatur, aut cruda caro distribuebatur, quæ erat *Visceratio*. Hinc *Denicales feriæ* celebrabantur, cum hominis mortui causa

familia purgabatur: *Exverræ* etiam feriæ, cum domus per *Everriatorem*, ſive juſtum hæredem, certo ſcoparum genere adhibito purgabatur, *ab extra verrendo* ſic dictæ. Interdum & ludi & deſultores adhibebantur, quæ erant funera *Indictiva*; interdum ludi tantùm, quæ dicebantur funera *Simplùdiaria*, ſic dicta, ut vult Scaliger, quaſi Simpliludaria, quod ſimpli ludii adhiberentur, hoc eſt, ſaltatores vel cernuatores. Tenuioris fortunæ defunctus a *Veſpis* ſive *Veſpillonibus* portabatur, ſic dictus, quod veſpertino tempore eos ferrent, qui funebri pompâ duci propter inopiam nequibant. Quod ad tempus luctı præſcriptum attinet, viri ab uxoribus viduis *menſes decem* lugebantur, ita ut ante legitimum luctus tempus nubere non poſſent, niſi à Magiſtratu aut Principe id impetrâſſent; quod ſi ante tempus poteſtate non impetratâ nuberent, infames habebantur & mulctabantur: minuebatur tamen luctus *publicè*, ædis ſacræ dedicatione, aut cum à Cenſoribus luſtrum condebatur: *privatim*, ſi liberi naſcerentur, honos in familiam veniret, puella deſponſaretur. Aliud etiam eſt *Lugere*, nempe

nempe lugubri habitu incedere, aliud *E-lugere*, legitimum scilicet tempus à nuptiis aliisque, quæ prohibita erant, abstinere. De lugendi modo legi potest Plut. in Numa, ubi ita scribit: *Numa quoque lugendi modum pro ætatibus temporibusque statuit, puerum non lugeri trimo minorem, neque etiam natu grandiorem menses plures, quam vixisset annos, ad decem usque, prolixlore fletu ætatem nullam lugere, sed longissimum luctus tempus esse mensium decem, quandiu & mortuorum uxores viduitatem servant; quæ verò intra id temporis nupserit, ex Numæ legibus vaccam prægnantem immolat. HÆC ILLE.* Ut ãutẽ sepulturæ honore carebant Rei Majestatis, Patriæ proditores, qui in suos âtroci sæviissent crudelitate, aut sibi violentas manus intulissent, aliave atrocia perpetrâssent facinora: ita & eosdem lugere nefas habebatur. Svet. in Tiber. Interdictum, ne capite damnatos lugerent propinqui. Aliàs nulli facilè sepultura negabatur, etiam incognita corpora terrâ operire moris erat, cum defunctorum manes errare, neque quiete potiri crederent ante sepulturam, Hinc insepultus ille Archytas apud Horat. Od. 28. lib. 1.

At

At tu nauta, vagæ ne parce malignus arenæ
Ossibus & capiti inhumato
Particulam dare.

Ipsi etiam ori terra videtur injecta. M. Tullius l. 2. de leg. *priusquam in os iujecta gleba est, locus ille, ubi crematum est corpus, nihil habet religionis.* Attica lex erat, ut, si quis in cadaver hominis insupultum incideret, saltem terram ei injiceret. Horatius loco jam laud.

Quanquam festinas, non est mora longa, licebit
Injecto ter pulvere curras.

Stoicorum sanè sententia nimis rigida & pænè inhumana fuit, qui nihil interesse asserebant, supra terram, an infra putrescerent. Conf. l. 1. Tusc. Quæst. Cicer.

Funebres ludi, tàm *Gymnici*, quàm *Scenici*, qui in funere clarissimorum virorum fiebant, sumptu vel privato, vel publico si merita in Rempublicam extarent, & facultates deessent. In his ludus habebatur gladiatorius, agebantur fabulæ, epulum sive publicum convivium populo dabatur, aut viscératio, de quibus alibi dictum est, aut dicetur.

Furca, duplex: Vetus & Nova. *Furca vetus*

vetus priſcis Romanis uſitata, duplex: *Ignominioſa & Pœnalis.* Illa, quâ collo impoſitâ ſervi circumduci ſolebant, ob culpam aliquam contemptui & ad irriſum. Hinc *Furcifer* dicebatur olim ſervus, qui ob leve delictum à Domino ignominiæ magis, quàm ſupplicii cauſſâ furcam circa urbem ferre cogebatur, prædicans peccatum ſuum, & obvios monens, ne quid ſimile peccarent. *Pœnalis*, quâ item collo impoſitâ circumducti, ſed cum verberibus, & pœnæ cauſſa, atque adeò mors plerumque hanc conſecuta eſt, ſive ſub ipſa furca ad necē cæſis, ſive cum ea in crucem latis. *Furca nova*, ævi inferioris inventum. Ea eſt inſtrumentum è ligno triplici, formâ jugi veteris, cui appenſos homines laqueo ſtrangulamus. Pœna tamen laquei Homero expreſſa, qui *infamem & impuram mortem* vocat, Plinius *Præpoſteram* quia Spiritus intercluditur, cui, exitus quærebatur. Ignava ſane hæc & viliſſima mors eſt.

Furiæ, furoris Deæ, malefactorum ultrices. *Diræ* in cœlo, inquit Servius, *Furiæ* in terris, *Eumenides* apud inferos dicuntur. Tres eſſe finguntur, quarum nomina *Alecto Megæra, Tiſiphone*; his Nero Matricida ſe exagi-

agitari querebatur; ſed verè Cic. pro Roſc. Amer. *furiarum* nomine nihil aliud ait ſignificari; quàm *animum malè ſibi conſcium*. Et libr. 1. de Leg. *Agitant & inſectantur impios furiæ non ardentibus tædis ſicut eſt in fabulis, ſed angore conſcientiæ. Eumenides*, i.e. benevolæ, per Antiphraſin dictæ ſunt.

Furtum. Furtorum tria genera 1. *Manifeſtum* quod deprehenditur, dum fit. 2, *Nec manifeſtum*, cum fur in ipſo quidem furto deprehenſus non eſt, furtum tamen feciſſe negari non poteſt. *Per lancem & licium conceptum*, quod quale fuerit, inter Autores non convenit. Alii tale fuiſſe aiunt, ſi fures, cum in alienas penetrarent ædes, *licium* ferrent, quo furta alligarent, & *lancem* duobus foraminibus aptatam præ oculis, ne cognoſcerentur, ſed ut obvios potius perterrefacerent fugarentque. Alii & quidem pleriq; furtum illud ita exponunt: ſi quis furtum quæſitum iret in alienam domum, poteſtate à poſſeſſore ejus petitâ & impetratâ, licio cinctus intrabat, ut ad quærendum expeditior eſſet, & lancem ante oculos tenebat, ob matrumfamilias & virginum præſentiam. Furtum igitur

gitur per lancem & licium concipiebatur, ſive comprehendebatur ab eo, cui furtum factum erat. Hodie additur furtum *Oblatum*, quod eſt, cum res furtiva ab aliquo tibi oblata ſit, eaque apud te concepta ſive inventa, ſi eâ mente tibi data fuerit, ut apud te potius, quam apud eum, qui dedit, conciperetur.

Fuſtigatio. vid. *Pœnæ militares.*

G.

Galea, tegmen capitis ex corio, ut *Caſſis* ex ære aut ferro. Sed hæc fuit Veterum galea. Aliorum galea ærea, cujus forma hæc erat: antrorſum aperta & ferri aliqua eminentia, ſed repandi; ad latus & malas utraſq; erant *Bucculæ*, ſic dictæ, quod buccas tegerent; ab imis bucculis *lora* pendebant, quibus ſtringerentur ad guttur & firmarentur. Summus Apex in galea *Conus* appellabatur, cui inſerebantur *Criſtæ*, in quibus mira quædam ſuperbia & laſcivia Romanorum, qui valde in iis ſibi placebant. Pyrrhus *hirci cornua* pro criſtâ habuit. Pennæ iſtæ erant longitudine fermè cubitali, quibus cæteris armis additis miles duplo quaſi major apparebat, & aſpectus ejus hoſti erat terribilis; pennarum color vel pu-

puniceus erat, nempe honeſtiorum; vel niger, ſcilicet viliorum; vel candidus, qui color feſtus & dignior. Poſtea & pavonum pennæ in criſtas aſſumptæ ſunt. Præterea erat poculum militare *galea*. Alexander apud Curt. l. 5. cum per deſerta Africæ iter faceret, graviſſimâ ſiti cum exercitu affectus, oblatam ſibi à milite in galea aquam, ſpectantibus univerſis, effudit, ne, ipſe ſolus ſi biberet, cæteri deficerent.

Galli. Hi Sacerdotes Cybeles, vel à Phrygiæ flumine Gallo, vel à Gallo primo Sacerdote ſic dicti ſunt; præſes eorum *Archigallus*. His ſolis ſtipem colligere licebat, cum reliquis Sacerdotum generibus id eſſet prohibitum.

Gemoniæ Scalæ, in Aventino erant, ad quas corpora damnatorum impacto unco trahebantur, dicuntur & *Gradus Gemonii*; an ab ipſo Conditore & extructore ſic denominati ſint, an à *gemendo*, non ſatis liquet. Franc. Pollet. l. 5. Hiſt. Fori Rom. cap. 14.

Genius, à *gignendo* dictus, quod nobiſcum gignatur, aut genitos nos ſuſcipiat ac tueatur, Deus naturæ; unde *indulgere genio*, *geniúmve defraudare* dicimur. Veteres uni-

unicuique duos Genios attribuebant, *Bonum*, qui ad bona hortaretur, & *Malum*, qui ad mala impelleret: Cenſorinus de die natali c. 3. *Genius eſt Deus, cujus in tutela, ut quiſque natus eſt, vivit, qui ab utero matris exceptum, ad extremum vitæ diem comitatur.* Veteres *geno* pro gigno efferebant. Hunc placare moris erat floribus & vino: Horat. l. 2. ep. 1.

—— Sylvanum lacte piabant,
Floribus & vino Genium.

aut thure: Tib: l. 4.

Magne Geni, cape thura libens votiſque faveto.

Erat & *Genius loci*, cui ſacra reduces inſtruebant, ut foret propitius. Æneas Italiam primùm ingreſſus, l. 7. Æn.

—— frondenti tempora myrto
Implicat, & Geniúmque Loci, primúmque Deorum,
Tellurem, Nymphásque, & adhuc ignota precatur,
Flumina.

Jurare per Genium Cæſaris aut Principis, ſanctiſſimum juramenti genus apud Genriles. Tertul. Apolog c. 28. *Citius apud vos per omnes Deos, quàm per unum Genium Cæſaris pejeratur.*

Gla-

Gladius, quem *Hiſpanienſem* vocabant, anceps erat, mucrone eximio: Nam Romani non cæſim, ſed punctim feriebant; cæſim pugnantes non ſolùm facilè vicêre, ſed etiam deriſêre Romani. Brevis fuit, & duos pedes in lamina non explevit, vi tamen & firmitate maximâ, ita ut & cæſim eo pugnari poſſet. Gladium ad dextrum latus alligatum ferebant, novum noſtris moribus, & pendebat iſte ab humero, non è medio cingulo, veteri & heroico ritu, ut commodior eſſet eductio; latioribus etiam loris gladii dependebant, & id *Baltei* vel *Baltea* *Balteum* milites ſingulariter ornabant, eóque velut præcipuo militiæ inſigni ſuperbiebant: bullis plerumque honeſtari ſolebat ex argento, auro, interdum & gemmis. Minorem gladium Latinâ voce *pugionem*, Græca *parazonium* vocabant.

Gladiator eſt, qui in arena ſpectante populo pugnat, aut moriturus, aut mortem illaturus. Initio quidem moris erat, in funere virorum fortium captivos necari ad placandos manes, uti Achilles in Patrocli rogum duodecim Trojanos juvenes conjecit; illud cum crudele videretur, placuit Gladiatores ante ſepulchra dimicare, qui

à bu-

à busti cineribus *Bustuarii* dicebantur. Spectaculum ipsum, *Munus* appellabant; eum, qui præbebat, *Munerarium* aut *Editorem*. Locus ubi alebantur Gladiatores, *Ludus*, eorum Magister *Lanista* vocabatur, qui gladiatores novitios & tirones docebat. Ratio instituendi erat, ut *rudibus* batuerent cum Lanistâ. *Manus*, quæ sub uno erat Lanista, *familia* dicebatur, unde nata formula: *familiam ducere*, id est, familiæ præesse. Cum verò populus ejusmodi ludis impensè caperetur, etiam voluptatis causâ dati sunt à Magistratu Gladiatores. Lipsius l. 1. Saturn. c. 12. *Scio*, inquit, *nullum bellum tantam cladem vastitiémq; humano generi intulisse, quàm hos ad voluptatem ludos*. Honorius Imp. tandem planè eos ludos sustulit. *Numerum*, addit, *dierum hominúmq; recensè, mentior, si non unus aliquis mensis Europæ stetit vicenis capitum millibus aut tricenis. Heu mores! Neronem culpamus aut Caligulam qui centum aliquot hominesvitâ interfecerunt irâ sive metu: ecce unus Editor homines supra mille ludens interfecit, & die non toto*. Atq; hæc *delicias* vocabant & *cibum oculorum*; quâ gratia etiam in lætiore convivio solenne fuit, in triclinio paria ali-

quot gladiatorum exhibere ad pugnam, qui cum applauſu convivantium occidebant, occidebantur, ipſis epulis cadentium ſæpe ſanguine reſperſis, atq; hi *Convivales Gladiatores* ſunt, quos *Cubicularios* vocat Lampridius. Gladiatores vel erant *Coacti*, ut captivi, ſervi, damnati: vel *Voluntarii*, *liberi*, quiq; pretio ſe addicebant, & hi *Auctorati* dicti. Genera eorum varia: erant enim *Secutores*, *Retiarii*, *Threces*, *Myrmillones*, *Samnites*, *Iſſedarii*, qui ex eſſedo pugnabant, *Andabatæ*, qui ex equis, galeâ frontem oculóſq; tecti, *Laquearii*, de quibus omnibus vid. Saturnalia Lipſii.

Græcoſtaſis. vid. *Concordia*,

Gratiæ, ſive *Charites* tres, Veneris & Liberi, ut nonnulli volunt, filiæ, venuſtatis & gratiarum Deæ. *Nudæ* pingebantur, quod Gratiæ ſine fuco eſſe deberent; *connexæ*, quod indiſſolubiles eas eſſe deceret; *unaverſa*, *duæ ad nos reſpicientes*, quod profecta à nobis gratia duplex ſoleret reverti. Servius in lib. 1. Æn.

Gymnici ludi, qui & *Circenſes*, à *nuditate* ſic dicuntur, quod certaturi veſtes exuerent, ut eo eſſent expeditiores ad certamina; quorum ſpecies hæ erant: 1. *Pugna*, cum pugnis,

pugnis, cæſtibus, gladiis, haſtis, &c. certatur, quo ſpectat *Gladiatura*, cum Gladiatores pro vita aut gloria dimicabant ſpectante populo, ut juventus cædium & vulnerum aſpectu aſſueſceret in bello minus iſta timere; eodem refertur *pugna cum beſtiis*, item *lucta*, cum alter alterum in terram proſternere nitebatur. 2. *Curſus*, cum currendo certa ſtadia in Campo peragebant, dum ad metam deſtinatã pervenirent. 3. *Saltatio*, vel in æquo campo, aut inferne ad locum ſuperiorem, & contra; aut cum in equos inſiliebant non tantùm nudi, ſed & cataphracti. 4. *Jaculatio* diſcorum, ſagittarum, aliorumque armorum, quæ longè projiciuntur: & hi erant *ludi pedeſtres*. 5. *Decurſio equeſtris*, quâ exhibebatur ſpecies pugnæ equeſtris. 6. *Aurigatio*, certamen bigarum aut quadrigarum. 7. *Naumachia*, cum in mari fluvio aut ſtagno forma navalis pugnæ repræſentabatur.

Gynæconomus, qui de mulierum ornatu ſtatuebat, ne ullaillarum quicquam indignum ferret, utq; ſingulæ pro ratione cenſûs & facultatum induerentur, indictâ mulctâ eis, quæ ſecus feciſſent. Et ſanè mulierum

luxus in veſtitu lege mulctaque coërcẽdus fuiſſe videtur, præſertim ſequiore ævo. *Neque enim geſtare jam margaritas*, inquit Plinius, *niſi calcent ac per uniones etiam ambulent mulieres, ſatis eſt*. Addit idem, viſam à ſe Lolliam Paulinam, ne ſerio quidem ac ſolenni ceremoniarum aliquo apparatu, ſed mediocrium etiam ſponſalium cœnâ, ſmaragdis margaritiſqve opertam alterno textu fulgentibus. Ornatum hunc qui æſtimabant, quadringenties ſeſtertiûm (decies centena millia Philippæorum ex computatione Lipſii) colligebant; unde & Seneca *mulieres*, ait, *bina ac terna patrimonia ſingulis auribus pependiſſe*. Gynæconomi etiam officium erat Convivas numerare, quorum certus erat & lege definitus numerus, triceſimo nunquam ut nonnulli volunt, major. Joſ. Lau. l. 2. Polymath. Differt. 36.

H

HAruſpex. *Haruſpicina*. Haruſpex, qui harugis i.e. hoſtiis inſpectis futura prædicit. *Haruſpicinam* Etruſcos primus docuiſſe fertur *Tages*, puerili ſpecie, ſenili prudentiâ, terrâ effoſſus. Cic. l. 2. de Divin. ira: ſi victima ductorem non ſponte ſequeretur, ſi fugeret, ſi ictum falleret, ſi ſanguinẽ non

non copiosum mitteret, difficulter expiraret, mali id ominis erat; quod si ultrò ad aram accederet, collapsa sine strepitu placidè animam exhalaret, læti id ominis esse censebatur. Victimis dissectis exta inspiciebat, & ligneo cultro vertebat Haruspex, qualia erant jecur, pulmo, lien, cor, renes, lingua, præcipuè jecur: exta enim vegeta, integra, intaminata, felicitatis argumentum præbebant; contrà flaccida & corrupta infaustum rerum exitum portendebant. *Sacrificia Muta* dicebantur, in quibus nulla erant signa. *Arguta*, quæ conspicuas & illustres notas exhibebant *Regalia*, quæ felicitatem pollicebantur. Ex flammis etiam, fumo & incensò thure, homines superstitiosi divinabant.

Hasta. Hastis vel hastulis Velites utebantur, & quidem numero septem gestabant ex tenui ligno longitudine tripedali, digitali crassitie, ferro molli duodecim digitorum, unde primo jactu statim inflectebantur, ut hostes retorquere non possent. *Amentum*, lorum erat hastæ affixum. cui manum inserebat, hastam missilem torturus; hinc Cicero arma ad pugnam parata vocat *hastas amentatas*. Apud Ambrosium *amenta-*

tata ſententia eſt certis argumentis firmata & communita, metaphorâ ductâ ab amento, quod roborat & incitat haſtam. Quia etiam in publicis auctionibus, in quibus aliquid, veluti belli jure vendebatur, haſta figi ſolebat; *haſtæ ſubjicere* vel *ſubhaſtare* eſt publice vendere.

Hercules, filius Jovis & Alcmenæ, quæ uxor erat Amphitryonis, & Alcei filia, unde Hercules à Poëtis *Alcides & Amphitryonades* dicitur. Heros invictus, incredibili virtute, inaudito robore, qui infans in cunis geminos angues, à Junone novercâ immiſſos, interemit arreptos. Macrobius Herculem putat eſſe *Solem*, (ut omnia pæne Deorum nomina uni ſoli applicat) ita dictum, quaſi ſit ἥρας κλέος, Junonis ſive aëris gloria. Æl. l. 2. Var. Hiſt. c. 32. Oraculi reſponſo id nominis illi eſſe datum arbitratur, hunc verſum afferens:

ἥρα γὰρ ἀνθρώποισι φέρων, κλέος ἄφθιτον ἕξεις,

grata enim ferens hominibus immortalem gloriam habebis. Euryſtheo, Mycenarum Regi, fervire coactus, ejus imperio duodecim labores perfecit, paſſim celebratos, quos breviter recenſebimus:

1. In Nemea, Arcadiæ ſylva, *leonem* inuſi-

tatæ

tatæ magnitudinis interfecit, ejuſq; pellem, tanquam inſigne ſuæ virtutis, perpetuò geſtavit.

2. *Hydram* plura exſerentem capita, quæ reciſa ſubinde renaſcebantur, in Lerna palude ferro & face oppreſſit.

3. *Aprum* ingentem, in Erymantho Arcadiæ monte, vivum cepit, & ad Euryſtheum adduxit.

4. *Cervum* æripedem, aurea habentem cornua in Mænalo monte curſu aſſecutus occidit.

5. *Aves Stymphalimas* tantæ magnitudinis, ut Solem obumbrarent, pepulit, vel, ut alii malunt, interemit.

6. *Amazones*, bellicoſas illas mulieres, vicit, earumque Reginam Hippolyten cepit, cui Baltheum abſtulit. Amazonum apud Hiſtoricos multa, apud Poëtas plurima fit mentio, ut nulli non notum eſt, an verò fœminæ, nulli ſubjectæ viro, olim in Aſia latè victrices regnârint, meritò à Doctis dubitatur. Strabo certè libr. 2. quæ de Amizonibus tradita ſunt, monſtri ſimilia, fatuloſa, incredibilia eſſe exiſtimat.

7. *Augiæ Regis in Elide ſtabulum*, quod rtia boum millia capiebat, repurgavit.

8. *Taurum* furentem, qui Cretam vaſtabat, vinctum ad Euryſtheum duxit.

9. *Diomedem*, Thraciæ Regem, quihoſpitum carne equos paſcebat, in Regia ſua Tinda occidit, & ſuis ipſius equis devorandum objecit.

10. *Geryonem*, Hiſpaniæ Regem, tricorporem vicit, ejuſque boves abduxit.

11. *Aurea Heſperidum mala*, dracone cuſtode pervigili interfecto, ſuſtulit.

12. *Cerberum*, canem tricipitem, inferorum cuſtodem, vinctum per Tænarias fauces extraxit. Præterea *Antæum* gigantem, *Cacum*, latrociniis furtiſque infamen, occidit, & alia ſtupenda geſſit. Hic tantus Heros Lydorum Reginæ, Omphalæ, ſerviiſſe dicitur; nempe *omnia vincit Amor*. Tandem furore correptus, in Oetâ monte ſemet combuſſit. Vid. *Hercules Oetæus Senecæ*. Multi Romanorum Herculi decimas vovebant eâ ſpe, fore, ut ita vitam felicem viverent.

Hermathena, Mercurii & Minervæ ſtatua, in unâ baſi conjuncta. Ἑρμῆς, Mercurius, Ἀθήνη, Minerva. Quo ipſo indicare voluerunt

runt Gentiles, Eloquentiam cum Sapientiâ eſſe conjungendam: Rectiſſimè n. Cicero l. 2. de Invent. Rhet. exiſtimat, *Sapientiam ſine Eloquentia parùm prodeſſe Civitatibus: Eloquentiam verò ſine ſapientiâ nimiùm obeſſe plerumque, prodeſſe nunquam,*

Hilaria, feriæ d. 25. Martii inſtitutæ, in honorem Matris Deûm; eum diem hilarem omnes ſumebant, & quivis è populo cujuſvis dignitatis inſignia impune uſurpabat.

Hippona, Equorum & Stabuli Dea. Tertull. in Apolog. *Vos tamen non negabitis, & jumenta omnia, & cunctos cantherios cum ſua Hippona à vobis coli.* Imagines hujus Deæ roſeis corollis equiſones & agaſones ornabant, cum tamen roſa, Regina florum, Veneri Gratiiſque fuerit in deliciis, φυτον ἐυθαλὲς ἀφροδίτης. Cauſa hujus rei fuiſſe videtur Aſſentatio. Aſſentatorem, quorum nomina plurima in hoc ſeculi albo, pulchrè depingit Terent. Act. 2. Sc. 2. Eun. ubi Gnatho: *quicquid dicunt, laudo; id rurſum ſi negant, laudo, id quoque. negat quis, nego; ait, ajo.* Ita & Athenæus graphicè & ad amuſſim Thraſonicam jactantiam, glorioſum militem, gloſſogaſtores, palpones, deſcribit his verbis:

Si

Si ad ædes sit progrediendum, sum aries;
Si tolerandæ plagæ, incus ac nodus:
Si bibendum edendumq, nihil, Tyihymallus,
qui scil octo lupinis prandebat.
Si aqua bibenda, Rana.
Si tolerandus æstus, ac meridie confabulandum, cicada.
Si parùm dormiendum, noctua.
Si ferior, ferri massa, si ferio, fulmen.
Si emovendæ cardinibus fores, terræ concussus.
Si cœnandum non invitato, musca.

Jos. Laur. l. 1. Polym. Dissert. 35. *Parasitorum*, ait Quintilianus, *vita est, contumelias in quæstu habere & injuriâ pasci.*

Histrio, actor fabulæ, antea *Ludio* dictus. In Histrionia Roscius maximè excelluit; unde in qua arte aliquis excellit, in eâ *Roscius* esse dicitur.

Honorarium munus, quod honoris ergò Patronis dabatur à clientibus: olim enim Patroni non exigebant officii sui mercedem, ut nunc Advocati, quod turpissimum ducerent Patronum esse mercenarium; Clientes tamen, ne accepti beneficii immemores viderentur, Patronis pro arbitrio munus aliquod offerebant.

Honorarium

Honorarium frumentum aut vinum, quo honoris causâ Proconsul à Provincialibus donabatur.

Honos. vid. *Virtus*.

Horta, Dea, quæ ad honestas actiones exhortabatur, ejus templum non claudebatur. Aliàs noctu clausa erant Templa omnia, præter quam Jani, belli tempore, Honoris, Hortæ, quæ cum ad res præclaras hortaretur, assiduis precibus fatiganda & continuis piàdasacrificiis videbatur. Plut. in Quæst. Rom. *Uxorem* hanc Romuli fuisse ferunt.

Hortulorum Collis, qui & *Pincius*, à Pinciorum familiâ, dictus, prolato pomœrio urbi est additus; nomen illi est à proximis *hortis* Salustii. In eo nundinarum tempore Candidati considebant, ut ab omnibus videri possent, & inde in Campum Martium petitum Magistratum descendebant.

Hostia, vel ab *hostibus* devictis, vel ab *hostio*, quod est ferio, sic dicta. Eadem victima, quæ post victoriam hoste victo immolabatur. Ovid.

Hostibus à domitis hostia nomen habet.

Hostia præcidanea, quæ priditè ante solennia sacrificia mactabatur.

Hostia succidaneæ, quæ, si primis hostiis litatum

litatum non esset, luendi piaculi gratiâ subdebantur.

Hostiæ eximiæ, quæ ad sacrificium destinatæ è grege eximebantur.

Hostiæ ambegnæ, circa quas aliæ hostiæ constituebantur.

Hostiæ bidentes, quæ & cornigeræ erant, & duos dentes eminulos habebant.

Hostiæ ambarvales: quæ rei divinæ causâ circum arva ductæ, ab iis, qui pro frugibus faciebant, sacrificabantur.

Hostiæ injuges, quæ nunquam domitæ & jugo subditæ fuerunt.

Hostis, apud antiquos *peregrinus* dicebatur. Cicero l. 1. Offic. *& qui nunc hostis, erat perduellis.*

J.

Iaculum, vid. *Telum.*

Janiculum, collis septem Urbis montibus additus trans Tiberim, vel à *Jano* hîc sepulto, vel à vetusto oppido, quod Janus ibi condidit, ita dictum, Hodie a flavis arenis *Mons aureus*, & corruptè *Montorius* dicitur.

Januarius, Mensis, à *Jano* nomen habet: sicut enim Janus bifrons fingitur, & præterita cernens & futura prospiciens: ita hic mensis

menſis& finem tranſacti,& principium futuri anni reſpicit. Romulo bellicoſo à Martio; Numæ, pacis ſtudioſo,à Jano annum ordiri placuit. Calendis Januarii Jano ſacrum fiebat ex libo, thure & mero; Conſules Conſulatum inibant, in Capitolium aſcendebant, & Jovi injuges juvencas mactabant, &c. Strenæ ultro citróque mittebantur, vota nuncupabantur.

Janus, Deorum antiquiſſimus,Rex Latii ita dictus, ut nonnulli volunt, quod Januis præſideret. Eundem, ſunt, qui Noachum in Sacris dici putant, Janus *bifrons* ideò pingebatur, quod vir prudens & futura præviderit & præterita reſpexerit. *Patulcius* idem & *Cluſius* dicebatur, quia ejus templi valvæ bello patebant,pace claudebantur.

Idus, vid. *Calendæ.*

Jejunium. Ethnicis antiquis in uſu fuiſſe jejunium conſtat. Sen. ep. 68. *Alius levat vomitu ſtomachum,alius frequenti cibo fulcit, alius interpoſito jejunio corpus exhaurit & purgat.* Athenienſes abſtemia ſacra Memoriæ, Muſis, Nymphíſque inſtituerunt, nullo vini uſu. Apud Romanos jejunium illud,quo ſacra Cereris celebrabantur

tur, quôq; pane veſci nefas erat, dicebatur *Caſtum Cereris.* Vinum etiam his ſacris non inferebatur, unde *Cereri ſacrificare* dicuntur, qui in convivio vini nihil adhibent. Plaut. in Aulul. *Cereriné hi facturi ſunt nuptias, quia temeti nihil allatum intelligo.*

Jentaculum, cibus erat matutinus, qui ſumi ſolebat antè, quàm homines operas aggrederentur. Priſcis *Silatum* dictum eſt, eò quod tum jejuni vinum, ſili herbâ conditum abſorberent. Servi, pueri & opifices *quinquies* quotidè cibum capiebant; liberalius educati *ſemel* tantùm aut plurimùm *bis* comedebant. Vid. Ald. Manut. de Quæſitis per Epiſt. l. 1. ep. 4.

Ignobilis. vid. *Nobilis.*

Ilicet. vid. *Funus.*

Imago. vid. *Nobilis.*

Immolatio. vid. *Sacrificium.*

Imperator, is initiô dicebatur, qui re benè geſtâ militari ſtudiô & Senatûs autoritate id nominis aſſequebatur: poſteà mutatâ Republicâ & ſũmâ poteſtate, quæ hactenus penes populum fuerat, in unum tranſlatâ, Julius Cæſar Imperator à Senatu appellatus eſt *Pater Patriæ, Dictator perpetuus*, Tri-

Tribunitiâ etiam poteſtate donatus *Sacroſanctus* habebatur, ut ſi vel minimo ſermone ab aliquo ſe læſum exiſtimaret, indictâ eum cauſſâ, ut qui piaculo ſe obſtrinxiſſet, necare poſſet. Imperatoris etiam nomine veniebat quilibet *Dux exercitus*, qui auſpiciis ſuis rem gerebat, & imperium, id eſt jus belli gerendi habebat. Græcè αὐτοκράτωρ ἀυτοκράτωρ, αὐτοστράτωρ.

Indicendi belli ritus. vid. *Fecialis.*

Iudigetes Dii, quos merita ſua in cœlum tranſtulerunt, ita dicti, quod *in Diis agerent*, vel quod *nullius rei indigerent.* Iidem vocabantur *Semones*, quaſi Semihomines, ut apud Heſiod libr 1. Op. Ἡρωες ἡμίθεοι.

Ingenuus. vid. *Libertus.*

Inſula. Inſulæ à ſimilitudine Romæ dictæ ſunt domus nullus connexæ ædificiis cohærentibus. Inſulæ in totâ Urbe fuerunt 46602. Domus 1780. harum longè minor numerus, ut quæ tantò grandiores inſtructioreſque eſſent, & propriæ Virorum Procerum.

Interpres, quem Magiſtratus inter exteras gentes ad externorum populorum orationem interpretandam adhibebat.

Inter Rex, Gr. μεταβασιλεὺς, qui demortui Regis

Regis munere fungebatur, dum novus Rex crearetur. Tempus imperii erat quinquendiale Regibus etiam exactis. *Interreges* appellabantur, qui Conſulum creandorum cauſſa, cum Comitia Conſularia haberi non poterant, fiebant. Summâ rerum ad unum tranſlatâ Interreges creari deſierunt.

Inteſtabilis, qui teſtimonii dicendi jus non habet Ita ob famoſum carmen damnatus, erat inteſtabilis; etiam ſervum hominem cauſſam orare leges non ſinebant, neque teſtimonii dictio erat. Terent. Act. 2. Sc. 1. Phorm.

Inteſtatus, vel *inteſtatò mori* dicitur aliquis quatuor modis, qui Teſtamento non facto, non jure facto, rupto irritôve facto, & ab hærede deſtituto, id eſt, cum hæres ſcriptus hæreditatem repudiavit, moritur: Hæredes triplices erant 1. *Neceſſarii*, 2. *Sui & neceſſarii*. 3. *Extranei*. *Neceſſarius* hæres erat ſervus hæres inſtitutus. 2. *Sui & neceſſarii* hæredes ſunt liberi cæterique ad quos, ſi quis inteſtatò moriatur, hæreditas pertinet *Extranei* hæredes, qui Teſtatoris juri nullo modo ſubjecti ſunt.

Iſis, Ægypti Dea, eadem, quæ Romanis Ceres.

Ceres. Columnæ ejus hæc legebantur inſcripta: *Ego Iſis ſum Ægypti Regina, à Mercurio erudita; quæ ego legibus ſtatui, nullus ſolvet. Ego ſum prima frugum inventrix. Gaude, gaude Ægypte, quæ me nutriſti.*

Judex. vid. *Recuperator.* Judex ſi ob rem judicandam pecuniam accepiſſet, olim capite puniebatur. Qui ſciens dolo malo injuſtè judicabat, ita ut evidens argueretur ejus vel gratia, vel inimicitia, aut etiam, ſi ad conſtitutum tempus in judicium non veniſſet, *is litem ſuam feciſſe* dicebatur. De Judice notæ melioris apte Horat. Od. 9. l. 4. Carm.

——— *bonus atque fidus*
Judex honeſtum prætulit utili, &
Rejecit alto dona nocentium
Vultu.

Judicium. Judicia fuerunt, quæcunq; aut Magiſtratus ipſi jus dicentes decreverunt, aut Judices, à Magiſtratu jus dicente dati, de jure ſtatuerunt. Judicia alia *privata* extiterunt de controverſiis, alia *publica* de criminibus conſtituta.

Jugatinus, Deus in Nuptiis invocandus, qui Conjuges conjungeret.

Jugum, ſub jugum mittere. vid. *Animadverſio in hoſtes.*

Julius, Menſis, anteà *Quintilis* dictus, quia quintus à primo, nempe Martio. In honorem Julii Cæſaris, qui hoc menſe natus, Julius eſt appellatus.

Junius Menſis, vel à *Junioribus* ſic dictus (vid. *Majus*) vel à *Junone*.

Juno, Jovis & Soror & conjux, *Lucina* dicta, quod lucem naſcentibus dare crederetur; eámque parturientes invocabant. *Sospita*, *Opigena Regina*.

Jupiter, quaſi *juvans Pater*, Saturni filius, Deum Pater atque hominum Rex. Expoſitus in Ida monte Cretæ, ubi & ſepulchrum ejus viſitur, lacte capræ, quæ *Amalthea* dicitur, nutritus fertur. *Optimus* propter beneficia, propter vim *Maximus* dictus, ut ait Cicero. Prætereà varia illi erant cognomina.

Jupiter Feretrius, à *ferendo* vel *feriendo*, cui opima ſpolia ſuſpendebantur.

Jupiter Horcius, Pauſan. in Eliacis: *In curia Jovis eſt ſignum, utrâque manu fulmen tenens, ſpecie perfidioſis hominibus quam maximè formidanda, Horcius ei cognomen, quaſi jurisjurandi vindex, idem fortaſſe, quem Romani Deum Fidium appellarunt*. Alius erat Jupiter ξένιος, in cujus tutela credebant

bant esse hospites, neutiquam violandos tectove arcendos.

Jupiter Stator, à *stando* vel *sistendo*, quòd fœdam fugam Romanorum cum Sabinis dimicantium stiterit. Aliud vult Seneca lib. 4. cap. 7. de Benef. *Stator non, ut Historici tradunt, ex eo, quod post votum susceptum acies Romanorum fugientum stitit, sed quod stant ejus beneficio omnia, stator stabilitórque est. Capitolinus* à monte, in quo ei Templum erat extructum magnificentissimum. *Diespiter*, quasi, *Diei & lucis Pater*. *Lapis* à lapide *Silice*, quem juraturi tenebant, hâc adhibitâ formulâ: *si sciens fallam, ita me Diespiter salvâ urbe arceq; bonis ejiciat, ut ego hunc lapidem*. Vel ideò sic jurabant, quod Jovis simulachrum esset in Capitolio lapideum. *Vejovis*, quasi *non juvans*, qui vim tantùm nocendi habebat: quosdam enim Deos, ut prodessent, gentiles colebant, quosdam, ne obessent, placabant.

Jus & Lex sæpe pro Synonymis usurpantur, quanquam juris nomen generalius est & ad non scripta etiam pertinet. *Lex* ad jus scriptum tantùm refertur. *Jus triplex* est: *Divinum*, quod in Legem Moralem,

Ceremonialem & Forenſem dividitur, quo de Theologi. *Naturale*, quod *ubique locorum & gentium retinet vim ſuam, neque opinione ratum aut irritum eſt*, inquit Ariſtoteles. Cicero ita definit: *Jus naturæ eſt ratio ſumma inſita in naturâ, quæ jubet ea, quæ facienda ſunt, prohibétque contraria.* Illud Jus Scriptoribus Ethnicis quandoq; *Jus Gentium* dicitur, cum tamen jus Gentium & jus naturale aliàs ſic diſtinguantur, ut illud cum brutis animalibus nobis ſit commune, hoc nobis ſolis proprium. Vid. Inſtitutiones juris. *Humanum poſitivum & civile*, cum aliquid communi juri vel additur, vel detrahitur, vel cum populus ſibi conſtituit, quaſi proprium jus Civitatis. Et hoc mutabile eſt, cum jus naturæ æternum ſit & immutabile.

Jus non ſcriptum eſt, quod uſus approbavit, ſiquidem diuturni mores conſenſu utentium approbati legem imitantur.

Juris civilis ſcripti ſpecies hæ ſunt:

1. *Lex*, quæ eſt generale juſſum populi aut plebis rogante Magiſtratu

2. *Plebiſcitum*, quod plebs rogante plebeio Magiſtratu, ſive Tribuno, conſtituebat. *Populi* enim nomine univerſi cives ſignificantur,

cantur, connumeratis etiam Patriciis & Senatoribus. *Plebis* appellatione cæteri cives excluſis Patriciis & Senatoribus ſignificantur.

3. *SCtum*, quod Senatus jubet & cõſtituit.

4. *Principum placita*, quæcunq; imperator per epiſtolam conſtituit, aut cognoſcens decrevit, aut edicto præcipit.

5. *Prætorum edicta*, quæ dicebantur *Jus honorarium*. *Interdicta* erant certæ verborum formulæ, quibus Prætor aut jubebat aliquid fieri, aut prohibebat, e.g. ne hoc aut illud fiat, vim fieri veto.

6. *Reſponſa Prudentum*, ſunt ſententiæ eorum quibus permiſſum eſt de jure reſpondere, nempe JCtorum.

Juris Romani origo hæc fuit: primum latæ ſunt à Regibus leges, quas cum collegerit Papirius, vocantur *Jus Papirianum*. Regias leges ſubſecutæ ſunt *Leges XII. Tabularum*, per decemviros à Græcis civitatibus petitæ, & in duodecim tabulas relatæ. Accedebant *Legis actiones*, quæ erant formulæ omnium actionum, à Prudentibus præſcriptæ, quas in formam redactas Cn. Flavius evulgavit, ob quod vocantur *Jus Flavianum*. Auctâ civitate, cum

deeſſent quædam agendi genera, Sextus Ælius alias actiones adjecit, quod appellatur *Jus Ælianum*. vid. *Lex*.

In jus vocatio. Qui litem alicui intendere volebat, antequam Judicem adibat, per amicos intra parietes, quid proficere poſſet, experiebatur; ubi verò cum eo convenire non poterat, Petitor eum, unde petebatur, die poſtulationum in jus vocabat hoc modo: conveniebat eum, unde petebatur, & monebat, ut ſe in jus ſequeretur; ſi ſequi nollet, in jus rapiebat, ne autem injuriam facere videretur, antè aliquem ejus actionis teſtem faciebat, captâ ſcilicet hominis fortè intervenientis auriculâ, rogabat his verbis; *Licetne anteſtari?* id eſt, poſſumne teſtem ſumere? ſi reſponderet, *Licet*; tum adverſarium injectâ manu ad Prætorem trahebat; quod ſi is, unde petebatur, latitaret, neque ullam ſecum agendi poteſtatem faceret, actor Prætoris auxilium implorabat, & reum edicto evocari jubebat. Edictum illud ipſius latitantis ædibus affigebatur, cum ſolenni vicinorum teſtatione. Quod ſi evocationi primæ non pareret, Prætor ſecundum decernens in bona Petitorem mittebat, & niſi

ſi evocatione tertiâ ad ſui defenſionem veniſſet, alterô decreto bona ejus poſſideri, proſcribi ac diſtrahi jubebat. Venditio tamen non ſtatim fiebat, ſed poſtquam bona per triginta dies poſſeſſa erant. Quod ſi plures eſſent creditores, Prætoris permiſſu ex ſuo corpore unum conſtituebat, qui bona debitores auctioni ſubjiceret, & is *Magiſter* dicebatur &c.

Jusjurandum. Jurantes apud priſcos maſſam *ferri* ſumebant, & firma fore pacta conventa affirmabant, dum ea maſſa appareret, quam in profundum abjiciebant. Plut. in Ariſt. Horatius pro ferro *ſaxum* repoſuit. Ep. 16.

Sed juremus in hæc: ſimul imis ſaxa renârint
Vadis levata, ne redire ſit nefas.

Jugulatum etiam *verrem* à jurantibus & in mare projectum patet ex Hom. Iliad. 15. Milites in nomen Imperatoris ſolenniter jurantes, ex more gladios cervicibus ad movebant. Vid. in Formulis: *Hercle.*

JCtus. JCtorum hæc erat differentia apud Romanos: *Juris ſtudioſi* aſſidebant; *Candidatorum* operâ Principes potiſſimûm in recitandis orationibus utebantur; *Anteceſſores*

res sive *Sophistæ* jus publicè interpretabantur. De JCto præclarè Cic. l. 1. de Orat. *Sine dubio domus JCti* (hujus autem nomine nemo Causidicum, nescio quem neq; Proclamatorem aut Rabulam intelligat) *totius oraculum Civitatis, atque Orator Catoni non est nisi vir bonus, ita nec JCtus*; ait Franc. Pollet. l. 2. Hist. For. Rom. c. 3.

JCti sive *Juris Auctores*, populo principali auctoritate de jure respondebant.

Jurisdictio. Prætor jus dixit, vel *ex superiore*, vel *ex æquo loco*, id est, aut de tribunali aut de loco plano, & quia Sellâ positâ sedens id faciebat, *dies* illi *Sessionum* vocabantur. *Lege agere* nihil aliud est, quàm aliquid eorum, quæ lege continentur, apud eum, qui jurisdictionem habet, obire. *Jus dicere* est aliquod horum aut dicere, aut addicere, aut dare: hæc enim erant tria solennia Prætoris verba: *Do. Dico. Addico.* Unde jam intelliguntur versus Ovid. l. 1. Fast.

Ille Nefastus erit, per quem tria verba silentur:
Fastus erit, per quem lege licebit agi.

Die igitur fasto Prætor summo manè in Comitium aut forum veniebat, in Tribunali sellâ positâ assidebat, & Accenso, ut tertiam

tertiam horam populo circumſtanti inclamaret, imperabat. Tertiâ inclamatâ per Accenſum eundem populum rogabat, num quis eſſet, qui apud ſe lege agere vellet, id eſt, qui jus poſceret &c.

Juvenales Ludi, à Nerone primùm inſtituti, cum barbam deponeret, in quibus ludis quilibet hiſtrioniam faciebat, geſtu modiſque haud virilibus.

Juventas vel *Juventa*, Dea juventutis, in cujus tutelâ, prætextâ poſitâ, erat juvenilis ætas. Eadem Græcis *Hebe*, Jovis & Junonis filia, Pubertas. Horat. l. 2. od. 30. ad Vener.

Et parùm comis ſine te Juventas.

Cic. l. 1. de nat. Deor. *Poëtæ quidem nectar, ambroſiam, epulas comparant & aut Juventutem aut Ganymedem pocula miniſtrantem*: In hujus ædem quiſque, cum virilem togam ſumebat, denarium deferebat, ſicut in ærarium Ilithyiæ pro naſcentibus, in Veneris Libitinæ pro defunctis denarius deferebatur. Joſ. Laur. l. 1. Polym Diſſ. tert.

L.

Lacerna, veſtis militaris exterior, ad pulviæ frigoriſque injurias propulſandas accommodata, Verùm per bella civilia in Urbem

bem recepta,& frequenter uſurpata & geſtata eſt.

Laconicum. vid. *Balineum.*

Lactuca. Hæc cœnæ olim caput. Mart. l. 13. Epigr. 4.

Claudere quæ cœnas Lactuca ſolebat avorum,
Dic mihi, cur noſtras inchoet illa dapes?

In cœnæ principio apponi lactucæ ſolitæ ad appetentiam excitandam; à cœnâ verò ad ebrietatem reprimandam aut ſoporem conciliandum, quibus peragendis illâ nil præſtantius. Joſ. Laur. l. 1. Polym. Diſſ. 44.

Læna, veſtimentum militare, quod ſupra omnia veſtimenta ſumebatur. Etiam pro vili veſtimenti genere uſurpatur à Juven. Sat. 5.

——— Plurima ſunt, quæ
Non audent homines pertuſa dicere læna.

Quid enim pauper audeat, qui, ut idem ait,

Pulſatus rogat & pugnis conciſus adorat?

Lampodophoria, Sacra ſic dicta *à lampadum geſtatione,* & in honorem Vulcani, Minervæ, & Promethei celebrata, in quibus curſores accenſis facibus currebant currendoq; certabant, & curſu fatigati facem ſucceſſori tradebant. Nat. Comes l. 4. Mythol. c. 6. *Quid ſignificat hæc Lampadophoria?*

phoria? nihil aliud ſanè, quam univerſum præſentis vitæ curſum eſſe nobis moleſtiarum & curarum plenum, quæ ubi ceſſaverint, à curſu ipſius vitæ ceſſandum eſt, & ſuccedentibus lampades, lites, morbi, calamitates animorumque ſollicitudines in manus tradendæ. Certamen ipſum dicebatur *Lampadodromicum*, & Ceratores *Lampadophori*. Conf. Adagium: *Curſu lampada tradere.*

Laniſta vel à *laniandis* corporibus dictus eſt, vel Thuſca vox eſt: (Thuſcis autem Laniſta *Carnificem* ſignificabat, (Præfectus ludi gladiatorii, qui gladiatoribus dictata dabat, modum pugnandi edocebat, & ad mutuam lanienam exercebat: unde & *avium Laniſtæ*, à Columellâ dicuntur, qui aves condocefaciunt ad pugnam. Grex tironum à Laniſtâ emptorum in ſcenicas voluptates, Familia dicebatur, & Laniſtæ ipſi *Patres Familias.*

Lares, Dii domeſtici, ex Mercurio & Larâ Nymphâ geniti, Metonymicè pro *domo* uſurpantur. Plauto *Lar familiares* eſt, qui certæ domui ac familiæ præeſt. De Laribus Ovid. l. 2. Faſt.

Qui

—— *Qui compita ſervant,*
Et vigilant noſtrâ ſemper in æde Lares.

His diſcedentes valedicebant,& revertentes eos ſalutabant i.e. adorabant. Ter. Act. 2. Sc. Phorm. *Deos Penates hinc ſalutatum domum divortar.* Iis vinum & thus offerebantur, variis etiam florum coronis exornabantur.

Lararium ſacrarium domeſticum, in quo Dii peculiares & præcipue Lares colebãtur

Latomiæ, loca ſub terra lapidibus exſecta, reorum domicilia. Plautus modò *Lapidicinas*, modò *Latomias lapidarias* vocat. Hujuſmodi carceres olim extructos fuiſſe Syracuſis à Dionyſio tyranno, teſtatur Cic. VII. Verr. *Latomias Syracuſanas omnes audiſtis, pleriq; nôſtis, opus eſt ingens, magnificum Regum ac Tyrannorum, totum eſt ex ſaxo in mirandam altitudinem depreſſo, nihil tam clauſum ad exitus, nihil tam ſeptum undiq;* &c. In has quondam detruſus fuit Poëta, Philoxenus, quod ſchedia ab ipſo Dionyſio compoſita contra veritatem, aſſentatorum more, laudare noluiſſet, cujus tamen carceris fœtore & ſqualore labefactari non potuit ejus animus conſtanter rigidus. Nam cum ex Latomiis extracto in lucem

lucem iterum aliæ ſerræ & Siculæ nugæ proponerentur laudandæ ab eod. Tyranno, indignè ferens exclamavit: πέμψον εἰς τὰς λατομίας. Franc. Follet. Hiſt. For. Rom. l. 5. cap. 14.

Latinæ feriæ, erant Conceptivæ, quibus pro communi totius Latii ſalute, in memoriam icti fœderis cum finitimis populis, in Albano Monte Jovi Latiali ſacra fiebant: nempe populi Latini in dictum montem hoſtias adducebant, & triduano ſacrificio peracto carne diſtributâ, quæ erat *Viſceratio*, in ſuam quiſque Civitatem revertebatur; quod ſi qua ceremonia neglecta fuiſſet aut intermiſſa, denuò inſtaurari Latinas oportebat.

Latrunculator, Sir. λῃστοδιώκτης, is, qui ad conquirendos, perſequendos & ſupplicio afficiendos latrones à Principe mittitur.

Laverna, Dea, quam fures precabantur, ut in inſtituta ſua & conſilia furandi ac mentiendi fortunaret; unde & fures priſcis *Laverniones* dicti, quod ſub tutelâ Lavernæ eſſent.

Laurus, Apollini ſacra. Nam, ut ait Virgil. Ecl. 7.

Popu-

Populus Alcidæ gratiſſima, vitis Jaccho,
Formoſæ myrtus Veneri, ſua laurea Phœbo.

Hinc Poëtæ & Victores *lauro* coronati ſunt, & *lauri Victrices* dictæ. Ecl. 8. etiam literæ, quibus hoſte victo Dux exercitus belli fortunam nunciabat Senatui, lauro obvolvebantur, quæ proinde *laureatæ* dicebantur. Eam ob rem Plin. l. 15. cap. ult. *laurum* victoriæ lætitiæque nuntiam dixit. Etiam faſces Victori Duci *Laureati* præferebantur. Contra adverſa nuntiabantur pennis epiſtolæ additis. Juv. Sat. 4.

——— *tanquam diverſis partibus orbis,*
Anxia præcipiti veniſſet Epiſtola pennâ,

Addit Comment. vetus: *quando laureata epiſtola mittebatur, victoriam denuntiabat; quando verò pennata, populationem & ſtragem.*

Lectica, cathedra vel ſedes, quâ dites potentes, nobiles geſtabantur. Græci à numero ſervorum eam geſtantium ἑξαφόρον aut ὀκταφόρον dixerunt. Cicero Orat. X. in Verrem, cum luxum ejus & effæminatam mollitiem deſcribit; *Lectica*, inquit *hexaphorâ ferebatur, in qua pulvinus erat perlucidus Melitenſi roſâ* (hæc, ut & *Pæſtana*, in deliciis erat) *farctus ipſe autem coro-*

coronam habebat, unam in capite, alteram in collo, reticulumque ad nares apponebat tenuiſſimo lino roſæ plenum. Lectica etiam erat *Lucubratoria.* Sueton. in Aug. c. 28. *A cœnâ Lucubratoriam ſe in lecticam recipiebat. Lecticarii* ſervi, qui lecticam geſtabant; hinc *Lecticariola* Martiali eſt mulier impudica, quæ lecticariorum amores venatur.

Ancillariolum tua te vocat uxor, & ipſa
Lecticariola eſt, eſtis, Alauda, pares,

Lectiſternium, cum ſacrorum gratiâ lecti in Templis ſternebantur, & convivium apponebatur tribus Diis, Jovi, Junoni & Minervæ Jovis ſimulachrum in lectulo ſtatuebatur, Juno & Minerva in ſellis conſidebant, ſed epulis ſeptē epulones fruebātur.

Lectus. Lecti erant triplices: *Diſcubitorii*, quibus cibum capientes incumbebant, iidem ab hoc uſu *Tricliniares* dicti. *Dormitorii*, qui & *Cubiculares*, quos nocturnæ quietis cauſſâ in cubiculis habebant, ut loquitur Cic. l. 2. de Divin. *Lucubratorii*, ad quos excogitaturi aliquid ſe recipiebant. Alius ab his Lectus *Genialis*, qui gentili ſuperſtitione in nuptiis ſternebatur in honorem Genii. Cic. pro. Cluent. *Lectum genialem*;

genialem, quem biennio antè filiæ suæ nubenti straverat, in eâd. domo ornari sibi & sterni expulsâ atque exturbatâ filiâ jubet.

Legatus, duplex fuit: alius Senatus aut Populi nuncius, qui Senatus voluntatem ad alios deferebat; alius, qui Proconsules aut Prætores in provincias euntes comitabatur, & his operam quâcunq; ratione navabat, nec tam suâ, quàm mandatâ autoritate res gerebat. Moris etiam fuit, ut Senatores Romani, quibus privata negotia erant in Provinciis, honorario titulo *liberæ Legationis* à Senatu donarentur, ut sub Legatorum personis commendabiliores controversias haberent & favorabiliores. *Legatus* autem *in exercitu* erat is, qui ab Ammiano Marcellino *Comes*, & nostrâ ætate *Locum tenens* dicitur, penes quem absente Duce summa potestas erat.

Legio, à *legendo* vel *deligendo* dicta, in decem cohortes erat divisa, Numerus in eâ militū pro diversis tēporibus varius fuit. Prima sub Romulo trium millium peditum & trecentorum Equitum fuit; postea modò quatuor, modò quinque, modò sex millium. Sæpe etiam lectior exercitus Legio dicitur. In Legione militare nemini

lice-

licebat, nisi civibus Romanis ingenuis, quique in quinq; Classibus censi & ludicræ artis expertes essent; unde constat servos, pueros, capite censos, & histriones non nisi summâ cogente necessitate ad arma vocatos, & in legionarios milites transscriptos esse.

Lemuria, festa die 9. Maii celebranda, à Lemuribus placandis dicta. Tum omnia Templa claudebantur, & nuptiæ tum celebratæ putabantur infaustæ; unde tritum illud: *Malum Maio mense nubere.*

Lessus. vid. *Lex.*

Levana, Dea, quæ tollendis de terra liberis præerat. Priscorum mos fuit, editos infantes in terram statuere, Opemq; Deam invocare, ut sinu suo natum exciperet; deinde ab obstetrice tollebatur jussu parentis. Liberum autem olim erat, natos aut tollere, aut exponere; unde apud Comicos frequenter *tollere* usurpatur pro *educare.*

Lex. vid. *Jus.*

Legum Rogatio peragebatur hoc modo. Legem laturus Magistratus eam domi scribebat, & cum peritis consultabat, ne quid contra populi rem aut voluntatem sanciret; inde *Lex promulgabatur*, id est,

in publico ponebatur, ut quilibet, qui vellet, cognoscere posset, & antè deliberare, utrum antiquanda, an approbanda videretur. Spatium promulgationis erat *Trinundinum*, id est, per ternas nundinas sive dies viginti septem. Post tertias nundinas Magistratus in forum aut campum Martium populum convocabat, & tum collectis populi suffragiis Lex vel antiquabatur vel accipiebant. Vid. suprà *Comitium*. Acceptam omnes cives jurejurando confirmabant, post jusjurandum in æneas tabulas lex incidebatur, interdum in columnas; & hæ tabulæ vel in publico affigebantur, vel ad ærarium deferebantur, & ibi conditæ asservabantur.

Leges, aliæ *Regiæ* erant, quæ dicuntur Jus Papirianum, aliæ XII. Tabularum, aliæ diverso tempore ab aliquo Magistratu latæ. Ex legibus Regiis has annotabimus.

1. *Deorum fabulas ne credunto.*

2. *Parricidas omnes capite puniunto.*

3. *Adulterii convictam vir & cognati, uti volent, necanto.*

4. *Si vinum biberit, domi, ut adulteram, puniunto.*

5. *Ne quis præsentibus fœminis obscœna verba facito.* 6. *Ne*

6. *Ne quis, niſi per portas, Urbẽ ingreditor, néve egreditor. Mœnia ſacroſancta ſunto.*

7. *Qui terminum exaraſſit, ipſus & boveis ſacrei ſunto.*

8. *Nequid inauſpicato publicè gerunto.*

9. *Temetum mulier ne bibito.*

10. *Quod natum erit, Parentes tollunto; monſtroſos tamen partus ſe* (pro *ſine*) *fraude exponi fas eſto.*

11. *In liberos ſuprema Patrum auctoritas eſto: venundare, occidere liceto.*

12. *In Contractibus fides ſervator: Fidei Nnmen omnes metuunto.*

Leges XII. Tabularum quâ occaſione ſcriptæ ſint, diximus in voce *Decemviri.* Eas ſupra omnes omnium Philoſophorum Bibliothecas Cicero extollit lib. 1. de Orat. Harum legum hodie tantùm fragmenta quædam ſuperſunt. Nos nonnullas ex his ſcitu dignas & intellectu faciles recenſebimus.

1. *Ad Divos adeunto caſtè, pietatem adhibento, opes amovento; qui ſecus faxit, Deus ipſe vindex erit.*

2. *Hominem mortuũ in urbe ne ſepelito néve urito.* Impp. tamen & Virgines Veſtales, quod legibus non tenerentur, in Urbe habebant ſepulchra.

3. *Rogum aſciâ ne polito.* Ea lex ſupervacaneos & inutiles ſumptus à funeribus removet, dum e rudibus & impolitis lignis rogum vult confici.

4. *Mulieres genas ne radunto, néve leſſum funeris ergô habento.* Moris olim erat ante rogum humanum effundere ſanguinem, vel captivorum, vel gladiatorum, quorum ſi nulla eſſet copia, mulieres laniantes genas ſuum effundebant cruorem, ut Manibus ſatisfieret. Illud hâc lege vetatur. *Leſſus*, eſt lugubris quædam ejaculatio. Cic. in Tuſc. Ingemiſcere nonnunquam viro conceſſum eſt, ejulatus ne mulieri quidem.

5. *Ut qui falſum teſtimonium dixiſſet, è Saxo Tarpeio dejiceretur. Saxum Tarpeium* miræ erat altitudinis. Lege deinde Corneliâ falſorum teſtium pœna fuit deportatio & bonorum omnium publicatio.

6. *Ne quis in Urbe cœtus nocturnos agitaret.* Nam, ut ait Menander, νὺξ πολλῶν κακῶν ἀρχηγός.

7. *Patronus, ſi clienti fraudem fecerit, ſacer eſto. Homo Sacer* eſt, quem à populo judicatum qui occidit, parricidii non damnatur; unde & quivis homo ſceleratus ſacer appellari ſolet.

8. *Si*

8. *Si in jus vocet, atq, eat; ſi vis vocatione fuat, anteſtamino; ni it, aurem capito anteſtati, ſi calvitur pedémve ſtruit, manum endo jacito.* Senſus hic eſt: Si quis civem Romanum in jus vocet, atq; i.e. ſtatim eat; ſi in jus vocantem ſequi recuſet, Actor præſentes aliquot cives anteſtetur, id eſt, teſtes vocet; ſi nondum ſequi velit, aurem capiat anteſtati: mos enim erat in anteſtatione, ut memoriæ cauſâ Actor auriculam imam anteſtati tangeret cum hoc verbo: *Memento.* Si calvitur, id eſt, fruſtratur, pedémve ſtruit, id eſt, retrorſum it aut fugit, manum injiciat.

9. *Glandem ſuam in alienum fundum procidentem colligendi jus eſto vicino.* Glandis appellatione omnis fructus ſignificatur.

10. *Si quis carmen occentaſſit, quod alterei flagitium faxit, capital eſto.* Senſus eſt: Si quis convitium alicui faciat carmine aut famoſo libello, capitale facinus eſt, & capitis pœnâ luendum.

11. *Ne quis anciario fœnore amplius exerceto. Fœnus* dictum eſt à *fœtu*, & quaſi à fœtura pecuniæ parientis & increſcentis. *Summa uſura*, quæ & *centeſima* & *as uſurarius* dicitur, eſt, cum pars ſortis centeſima ſingulis

menſibus penditur, id eſt cum de centum aureis ſingulis menſibus unus, ſingulis annis duodecim penduntur. *Uſura deunx*, cum ſingulis annis in centenos undecim penduntur, *dextans*, cum decem, *dodrans*, cum novem, Uſura *unciaria*, cùm unus penditur.

12. *In funere ne circumpotato.*
13. *Perjurii pœna divina exitium, humana dedecus.*
14. *Sanctè vota reddunto.*
15. *Impius ne audeto placare donis iræ Deorũ*
16. *Cœlibes eſſe prohibento.*
17. *Salus populi ſuprema lex eſto.*
18. *Domum cum laude redeunto.*
19. *Is Ordo*, puta Senatorius, *vitio careto, cæteris ſpecimen eſto.*

HÆC ET PULRA CIC. l. 2. & 3. de Leg. Quanquam non ignoramus, graviſſimos eſſe Auctores, qui eas, quas ex dialogis Ciceronis attulimus leges, ex XII. tabulis depromptas eſſe negant, tamen cum fructu à juventute hîc legi poſſe judicavimus. *Indubitati juris eſt*, inquit Th. Dempſt. l. 8. ad Antiquit. Roſ. *pauciſſima hodie legum Decẽviralium extare verba, & quæ apud Rhetores Grammaticoſque ſuperſunt, & maximè in libris*

bris de Legibus Ciceronis non esse verba legum antiquarum, sed tantùm sensum. Has leges aliæ consecutæ sunt, à variis Magistratibus latæ, ut *Agrariæ*, de agris populo dividendis, *Frumentariæ*, *& Sumptuariæ &c.* His ab Auctoribus suis indebantur nomina, ut alia *Lex Cornelia*, alia *Julia*, *&c.* diceretur.

Libatio. vid. *Sacrificium. Libare* est leviter degustare & primis labris attingere. Tanta fuit Antiquorum Religio in Libationibus, ut primitias omnes fructuum, quas ἀπαρχὰς vocabant, suis Numinibus libarent & sacrarent. Erat autem duplex apud Ethnicos Libatio, cùm in sacrificio, tum in epulis. Una *dapum* & ciborum, quorum partem aliquam decerpentes, illam in ignem focumque conjiciebant, atque ita Diis suis consecrabant dapes: Altera *potus*, cum scil. vini, lactis aliúsve liquoris parte aliquâ effusâ ex vase in terram vel in aram, certis adhibitis ceremoniis in Dei honorem fiebat, & hoc erat Diis libare. In sacris vinum non quodvis libatum, sed meracum; vinum spurcum, cui aqua admixta erat, defrutúmve mustúmve, antequam deferveſceret, sacris adhiberi non pote-

rat. Moris etiam erat, ut ante libationem manus abluerent, certáſque preces funderent. Joſ. Laurent. l. 2. Polym. Diſſert. 49.

Liber. vid. *Bacchus.*

Liberalia feſta, quæ Græcis *Dionyſia*, die 17. Martii celebrabantur: his libera lingua loqui licebat, & adoleſcentibus pueritiam egreſſis *toga libera* dabatur. Eadem ἐλευθέρια videntur appellata à *libertate*, eò quòd ſatis liberè, parùm licet honeſtè, tum viverent. Hinc Synecdochicè *Liberalia* luxurioſorum & helluonum dicuntur feriæ. Plaut. in Perſa. *Baſilicè agito Eleutheria, quia herus peregre eſt*; quaſi dicat, gere te ut liberum, indulge genio, carpe dulcia, pelliculam cura, tanquam adeptæ libertatis ferias celebres. Abſentia enim Inſpectorum improbos ὀρθαλμοδήλους ad peccandum invitat, uti noſtrati proverbio dicitur: *domo cum feles abſunt, in ſcamnis impunè mures ſaltitant.* Sunt etiam, qui putant Eleutheria dicta eſſe Feſta in honorem *Jovis Eleutherii* ſeu Liberatoris inſtituta. Vid. Lex. Philolog. Matth. Martin.

Libertas, omnium maximè à Romanis culta ab eo tempore, quò pulſis Tarquiniis

in

in libertatem ſeſe vindicârunt. Ita quoque Cicerone in exilium profecto domum ejus Clodius libertati conſecravit. Libertas alia *Plenior*, alia *Minor*. Libertas juſta, plena & legitima, quæ vindictâ, cenſu, teſtamento parabatur. Minor, quæ minus ſolenniter inter amicos, in convivio, per epiſtolam data.

Libertus, priſcis temporibus erat is, qui aliquando ſervitutem ſerviiſſet, & ex illâ manumiſſus eſſet. *Libertinus*, qui ex duobus libertis. *Ingenuus*, qui ex duobus ingenuis, aut duobus libertinis, aut ex ingenuo & libertino natus eſſet, & hic ſtatim, ut natus, liber erat. Poſtea verò liberti & libertini pro iiſdem accepti fuerunt, eo tamen diſcrimine, ut liberti reſpectu Patronorum, libertini reſpectu ingenuorum dicerentur. Libertus antiquitus civisquidem erat, ſed nullo, niſi Apparitoris, fungebatur munere.

Libitina. vid. *Venus*.

Liburnæ naves bellicæ (Galeern) ſic dictæ à *Liburnis*, Illyrici populis, quorum naves cum in pugnâ Actiacâ Auguſti cum Antonio cæteris ad navale prælium aptiores eſſent deprehenſæ, ad earum ſimilitudinem

Romani

Romani classem texuerunt, easque naves itidem dixêre *Liburnas*. Fl. Veget. l. 5. c. 2. & 3. Horat. od. 1. Epod.

Ibis Liburnis inter alta navium,
Amice, propugnacula.

Lictor. Lictores fasces virgarum ligatos cum securibus Magistratui præferebant, ejusq; jussu delinquentibus plagas ingerebant. His usi sunt Magistratus majores, qui potestatem & imperium habuerunt, *Viatoribus* ii, quorum potestas potius, quàm imperium extitit. Lictorum munus erat, ut populum summoverent, fontes virgis cæderent, & securi ferirent. Dices: Lictor igitur à Carnifice nihil differet, quem tamen Cicero à foro, urbe, concione removet. Franc. Pollet. l. 5. Hist. For. Rom. c. 14. suspicatur, Lictorem tantùm in cives Romanos lege egisse, perduellesq; virgis & securi more majorum percussisse; Carnificem verò crucifixisse, strangulâsse, gulam fregisse, & alia supplicia servis, peregrinis, & iis, qui cives non erant, irrogâsse.

Lilia. vid. *Machinæ*.

Limes. Limites non unius fuêre generis. *Decumani*, ab Oriente in Occidentem. *Cardines*, à meridie in Septentrionem. *Prorsi*, ab Occidente

Occidente ad Orientem. *Transversi*, à Septentrione ad meridiem. *Actuarius* limes, qui primus positus est,& ab eo quintus quisque; reliqui medii *Limites linearii* appellabantur.

Lituus. vid. *Augurium.* it. *Aciei adjuncta.*

Loculus. vid. *Sepulchrum.*

Lorica, munimentum corporis quo corpus adversus vim tegimus, antiquitùs ex crudo corio fiebat,(unde & nomen illi est à loro) postea ex æreâ aut ferreâ laminâ; plerique tamen militum non loricas habebant, sed partem æris aut ferri procusam, quæ summum pectus tegeret. Fuit adsimile quiddam hodierno pectorali, sed minus longum, & æquabiliter quadrum; & vocabant *Pectorale*, nonnulli *Corditum.* Vid. & *Machinæ.*

Lubentia, Dea quædam voluptatum ac deliciarum. Hinc. Plaut. in Asin. *Lubẽtiorem te faciam, quàm ipsa Lubentia est.*

Lucta. vid. *Gymnici ludi.*

Ludus. Ludi à *Lydis* appellati. Ludus modò significat factum jocosum, modò locum exercitationis, modò ludi sunt publicæ celebritates, quæ vel placandæ Deûm iræ, vel pro salute populi, vel gratiæ populi deme

demerendæ cauſſâ ſunt editæ. Hi ludi dividuntur in *Circenſes* & *Scenicos*, de quibus ſuo loco. Ludos exhibuerunt primò Reges, pòſt Conſules, tandem Ædiles. Qui in ludis loca ſpectatoribus deſignabant, *Locarii* vel *Deſignatores* dicebantur.

Luna à *lucendo* dicta, unde & *Noctiluca* dicitur. In Aventino monte templũ habuit.

Luperci. antiquiſſimi Sacerdotes, ab Evandro Arcade inſtituti, qui Pani Lyceo (*Lycæus Pan* dicitur à Lyceo, Arcadiæ monte) ſacra faciebant, canem immolabant pellibus tecti diſcurrebant, & obvios cædebant. Ordines erant duo Lupercorum, alii *Fabiani*, alii *Quinctiliani*, à quodam Fabio & Quinctilio ſic dicti; additus eſt tertius ordo *Julianorum*, qui in honorem Cæſaris erant inſtituti.

Lupercalia die 15. Februarii celebrabantur luſtrationis cauſſâ, in memoriam Romuli & Remi à *Lupâ* nutritorum. Dies illa antiquitùs *Februata* appellabatur.

Luſtratio quinquennalis, quinto quoque anno perfecto Cenſu à Cenſoribus peragebatur, cum cives omnes armati in Campo Martio aderant, & hoſtiæ, taurus, aries & hircus, ter circumductæ circum exercitum

Marti

Marti mactabantur. Hæc erant *Solitaurilia*.

Luſtricus dies. vid. *Nundinæ.*

Luſtrum. vid. *Cenſor,*

Lyæus. vid. *Bacchus.*

M.

Machinæ. In ſubitâ oppugnatione adhibita 1. *Corona*, ad claudendum & terrendum; hinc ſæpe occurrit: *coronâ urbem cingere, capere, expugnare.*

2. *Teſtudo militaris*, cum ſcutis ſnper capita elatis muro milites ſuccedebant.

3. *Scalæ*, quæ vel *compactiles*, ut plicari turſumque explicari poſſent; vel *coriaceæ*, è corio conſutæ; vel *ſtuppeæ*, ex funibus ſtupeis inſtar retis contextæ.

4. *Crates*, quarum duplex uſus, ſive ut tegerent antè latæ, ſive ut foſſas iis explerent, & mixto aggere quaſi per pontes irent.

5. *Vinea*, è levioribus lignis machina, colligatur, alta pedes 8. lata 7. longa 17. Hujus tectum duplici munitione tabulatis cratibuſq; contexitur, latera quóq; vimine ſepiuntur, ne ſaxorum telorumq; impetu penetrentur. Extrinſecus autem, ne immiſſo concremetur incendio, crudis ac recentibus coriis operitur. Cum plures factæ fuerint, junguntur in ordinem, ſub quibus

bus ſubſidentes tuti ad ſubruenda muro-rum fundamenta penetrant.

6. *Pluteus*, eſt machina mobilis ambulatoria ex tabulis, vimine & corio conſtrata, terniſque rotulis, quarum una in medio, duæ in capitibus apponuntur, ad muros adigi ſolita.

7. *Teſtudo*, tabulatum ex trabibus pluteiſque factum, coriiſque ac ciliciis contectum, adverſus flammam & incurrentia ſaxa, ſub quâ latebant milites, qui viam turribus aut vineis muniebant, ſaxa de viâ removebant, ſolum æquabant. Aliàs omnes hæ machinæ tegentes teſtudinis nomine veniunt.

8. *Muſculus*, machina, quâ tecti milites, apportatis lapidibus, lignis & terrâ, foſſas complebant, ut turri ambulatoriæ viam munirent; uſus ejus etiam erat in ſubruendis muris.

9. *Vectes*, è ligno aut ferro pali ad onera ſublevanda aut promovenda; ferreis utebantur ad muros ſubruendos *Vecticularia vita* eorum dicitur, qui vectibus parietes furandi gratiâ perfodiunt.

10. *Dolabra*, diſtincta à ſecuri, licet formâ ſit ſecuris, ſed parte alterâ in mucronē acuminata, quæ ſerviebat maximè muris

deruẽdis,ut ſecuris vallo & lignis cædẽdis.

In oppugnatione diuturnâ neceſſaria erat *Circumvallatio*, ne nuntii, cibi, auxilia intrarent. Veteres ad hos muros ſtruendos uſi ſunt laterculis crudis, Romani ceſpite. *Agger* enim moles erat ex terrâ ligniſque extructa contra murum, de quo tela jactabantur. *Vallus* ſtipes ramoſus, in aggeris ſummâ parte defigi ſolitus, ad aggerem confirmandum & loricas extruendas, quẽ vallum Legionarii milites unà cum reliquis armis in itinere ferebant. *Loricæ* erãt eminentiæ aggeris aut murorum, quæ pectus defendebant: fiebant ex cratibus aut pluteis, i.e. craſſis aſſeribus & tabulis. *Cervi* ſtipites ramoſi, quibus utebantur ad terram coërcendam adſtringendamq; identidem interjectis, tum etiam ad impediendum adſcenſum. *Lilia* ſtipites erant â ſummo peracuti ad ſimilitudinem floris ejuſdem nominis non aperti : & hi tegebantur viminibus & virgultis. *Cippi* ſtipites tricipites aut quadricipites, cacuminibus præacutis ab infimo revincti, ne revelli poſſent. His caſtra muniebantur. In oppugnatione prætereà requirebatur *Turris Mobilis* ſive *Ambulatoria*, quæ erat machina

china inſtar ædificii ex trabibus & tabulis conſtructa; intus erat *Aries*, quem ſuſpenſum milites in hoſtium murum impellebant; ex ſuperiore parte pons dimittebatur, in eundem murum & ſcalæ confeſtim injiciebantur. Tota autem machinatio à militibus circiter quinquaginta introrſus promovebatur, cum muſculus aut vineæ præcederent, ſub quibus foſſores raſtris & ligonibus viam muniebant. *Cuniculus* eſt meatus ſubterraneus ſuffoſſus. *Malleoli* manipuli ſpartei ex pice, ſulphure aliiſq; ignis fomitibus confecti, ad incendenda ædificia accommodati. *Falces Murales*, quibus de muro extrahebant lapides.

Magiſter Equitum, quem Dictator ſibi eligebat adminiſtrum ex Conſularibus aut Prætoriis, cui poteſtas in equites erat commiſſa. Eandem poteſtatem habuit, quam Regum temporibus *Tribunus Celerum*, & poſteà imperio in unius manu poſito *Præfectus Prætorio*. Inſignia ejus Prætexta, Curulis, ſex lictores. Sub Imperatoribus etiam erat *Magiſter Officiorum*, ad quem Palatii diſciplina pertinebat.

Magiſtri vicorum, qui & *Vicomagiſtri* ſunt appellati, quatuor per ſingulos vicos creabantur, ut illos tuerentur. Ma-

Magiſtratus, cùm ipſum officium denotat, quomodo dicimus aliquem Magiſtratum gerere, tum eos, qui in aliqua poteſtate ſunt conſtituti. Magiſtratus alii erant *Urbani*, qui in Urbe, alii *Provinciales*, qui extra Urbem res gerebant. *Majores*, quorũ majora ſunt auſpicia, aut quorum poteſtas imperiúmve majus eſt. *Minores*, quorum minus. *Ordinarii*, qui ſtatis temporibus & ſemper in Republ, erant. *Extraordinarii*, qui nec eodem tempore, nec ſemper. *Patricii*, qui ſolis Patriciis patebant, ut Interregnum. *Plebeii*, qui ſoli plebi, ut Tribunatus & Ædilitas plebis. *Mixti*, qui cuique Ordini, ut cæteri omnes. *Curules*, quibus jus eſt ſellæ. *Non curules*, quibus minimè.

Majeſtas, ſumma dignitas eſt populi, Senatus, Principis, Imperatoris. Interdum crimen, quod adverſus populum Romanũ ejuſq; ſecuritatẽ committitur. Hujus ſpecies quædam *Perduellio* erat, ſi quis hoſtili animo adverſus Rempubl. aut Principem animatus eſſet. *Majeſtatis crimen* quandoq; exilio tantùm mulctabatur; *perduellionis* a. reum carnifex in crucem in campo Martio fixam tollebat, & memoria ejus etiam poſt mortem damnabatur.

Maius, Menſis, vel à *Majoribus* ſic dictus, quia Romulus, cum populum in Majores & juniores diviſiſſet, in honorem utriuſq; parris hunc *Maium*, ſequentem *Junium* dixit; vel à *Maia*, Mercurii matre.

Malleoli. vid. *Machinæ*.

Manalis lapis, erat ſaxum quoddam, quod movebatur; cum pluviæ exoptabantur.

Mancipatio, eſt genus venditionis inter ſolos cives Romanos uſitatum, fieri ſolitũ ſolenni ritu: adhibitis enim quinque teſtibus civibus Romanis puberibus: qui librã æneam tenens vocabatur *libripens*. Is qui mancipium accipiebat, æs tenens ita dicebat: *Hunc ego hominem ex jure Quiritium meum eſſe aio, iſq; mihi emptus eſt hoc ære æneáq; librâ*; deinde ære percutiebat libram, ídq; æs dabat ei, à quo mancipium accipiebat, quaſi pretii loco. Qui autem Pater naturalis filium emancipare volebat, is die cognitionis filium fiduciario Patri emancipabat, hâc utenti formulâ: *Hunc hominem ex jure Quiritium meum eſſe aio, quoniam emptus eſt mihi hoc ære æneâq; librâ*. Naturalis autem Pater reſpondebat: *Hunc filium meum tibi mancipo*; & accepto pretio in jure cedebat: quo ritu ter per-

peracto Prætor addicebat, & tum è potestate Patris filius egressus putabatur. Quod enim in servis *Manumissio*, in filiis dicitur *Emancipatio*.

Manipulus. vid. *Cohors*,

Manliana Imperia, id est, dura, sæva, aspera, ita dicta à T. Manlio Torquato, qui Filium optimæ spei juvenem, eò, quod adversus edictum suum cum hoste pugnaverat eúmque occiderat, virgis cædi & securi percuti jussit, unde & ipse cognomento *Imperiosus* appellatus. Vid. Livius & Agell. l. 9. Noct. Att. c. 13.

Manumissio, tribus modis facta est: 1. cum servus consentiente Domino nomen suum in Censum detulit, ut eum in peculio suo censum haberet. 2. Si Testamento à Domino liber relictus esset. 3. Cum Dominus servum, quem manumittere volebat, ad Prætorem adducebat, & caput aut aliud membrum tenens ita dicebat: *Hunc hominem liberum esse volo*, & simul è manu emittebat. Prætor autem *Vindictâ*, id est, virgâ servi capiti impositâ ita dicebat: *Dico eum liberum esse more Quiritium*; Inde ad Lectorem conversus addebat: *Secundum tuam causam, sicuti dixi, ecce tibi*

Vindicta! Tum lictor acceptâ à Prætore Vindictâ caput ſervi percutiebat, faciem tergúmque palmâ, quibus actis nomen manumiſſi in acta referebatur adjectâ cauſâ manumiſſionis. Plerique autem ſervorum in tranſitu manumitti ſolebant, cum Prætor lavandi aut ludorum cauſa prodibat.

Manumiſſi, & libertate donati, raſo capite pileum geſtabant, libertatis inſigne; unde Proverbium natum: *ad pileum vocare.* Servus apud Plaut. in Amphitr. *Utinam ille faxit Jupiter, ut raſo capite portem pileum.* Eraſmus in Adag. putat, pileum priſcis inſigne fuiſſe ſpectatæ Virtutis; unde mos fluxerit, ut Doctoris aut Magiſtri titulo donandi pileum accipiant.

Erant autem alii tres modi libertatem donandi. 1. *Inter amicos*, cum præſentibus amicis quiſpiam manumittitur. 2. *Per menſam*, cum libertatis dandæ gratiâ ſervus convivio adhibetur. Romani n. ſervos ad menſam non admittebant, niſi manumiſſos, ita ut menſæ communicatio eſſet manumiſſionis ſignum. Sen. ep. 47. ridet eos, qui turpe exiſtimant cum ſervo cœnare. 3. *Per epiſtolam*, cum ſervo abſenti miſſis literis

teris à Domino permittitur, ut liber vivat. Verùm hi libertatem minorem accipiebant, & fiebant *Latini Juniani*; illi verò Majorem ac juſtam libertatem adepti dicebantur *Cives Romani*, Manumiſſi etiam ſervi *catenam* Laribus conſecrabant, ut gladiatores *arma* Herculi, virgines nupturæ *puppas* (ἀγαλμάτια) Veneri, Pueri togam virilẽ ſumpturi Penatibus *bullam*. Hor. Sat. 5. l. 1.

—— *donâſſet jamne catenam*
Ex voto Laribus, quærebat.

Vid. Joſ. Laurent. l. 1. Polym. Diſſ. 42.

Mars & Mavors, belli Deus, ſic dictus, qd *maribus* præſit, vel quod *magna vertat*; item *Gradivus* à gradiendo. *Marti Ultori* templum ſumptuoſiſſimum extruxit Auguſtus. Inſignia ejus haſta & flagellum interdum gallus appingebatur ob militum vigilantiam.

Martius, à Marte, cui, tanquam Genitori ſuo, primum anni menſẽ dicavit Romulus.

Materfamilias. vid. *Nuptiæ*.

Meditrinalia, à *medendo* dicta, feſta erant die XI. Octobris inſtituta, quo die muſtum guſtantes dicebant: *Vetus novum vinum bibo, veteri novo morbo medeor.*

Megaleſia ſive *Megalenſes ludi*, in honorem magnæ Matris Deum inſtituti, in palatio prid. Non. Aprilis ante illius ædem fiebant. In his Hiſtriones turpiſſima quæq; in matrem Deûm & Atyn dictitabant, imò omnibus licentiâ ludendi permiſſa perſonas induebant, quas cuique libebat, epulabantur, comeſſabantur.

Mens. Mentem conſecrârunt Romani, & ædem illi voverunt, ut bonam Mentem concederet.

Menſa. Ea res ſacra habebatur, in quâ omnium primum collocabatur Dei alicujus ſimulachrum cum ſalino. Vulgatum illud Arnobii: Menſas veſtras ſalinorum appoſitu & Deorum ſimulacris ſacras facitis. Multa de menſâ narrantur à Plin. lib. 28. c. 2. Incendii Inter Epulas nominati aquis ſub menſas profuſis abominatio. Convivâ bibente menſam vel repoſitorium tollere, in auſpicatiſſimum judicatur, ſternutamento ferculum revocari dirum habetur, quæ de menſâ cadebant nefas tollere, quando etiam menſam tollebant, nunquam eam inanem relinquebant, ſemper aliquid in eâ; cujus rei rationes vide apud Plut. l. 7. Sympoſ. Quæſt. 4. Probl. 64.

Mercurius,

Mercurius, vel à *mercium curâ* ſic appellatus, vel quaſi *medius currens*, quod ſermo medius inter homines ſit, Mercatorum, furum, eloquentiæ Deus, Deorum nuntius, lyræ Parens. Vid. libr. 1. Carm. od. 10. Horat. Ejus inſignia *Caduceum & Talaria*. *Mercuriales ſtatuæ* in viis extructæ iter viatoribus monſtrabant.

Merenda, cibus, qui poſt meridiem datur, ita dicta, quod his daretur, qui *mereat ære* i. e. mercenariis.

Meta, vid. *Circus*.

Metator. vid. *Caſtrametatio*.

Miles, *Militia*. Militiæ genera tria fuerunt; Sacramentum, Conjuratio, Evocatio. *Sacramentum* eorum, qui jurabant ſinguli, ſe pro Republ. eſſe facturos, nec diſcedebāt, niſi confectis ſtipendiis Sacramento militari jubebantur militantes *ſequi Ducem, quocunq; duceret*. Tale Sacramentum & apud Græcos fuiſſe in uſu, patet è Curtii lib. 7. ubi milites Alexandrum Regem his verbis compellant: *Annon in tua verba, tui omnes, te præunte, juravimus, nos inimicos amicoſque habituros eſſe, quos tu haberes*. Juraturi enſes vibrabant & diſtringebant, quò ſignificarent, evaginatis

gladiis, ut puto, ulciſcendam violati Sacramenti fidem: etiam elatis in altum manibus miram quandam alacritatem atteſtabantur. Lucanus l. 1.

— *His cunctæ ſimul aſſenſêre cohortes,*
Elatáſq; altè, quæcunq; ad bella vocarent,
Promiſêre manus.

Et hi dicebantur Sacramento addicti i. e. obſtricti. Uti autem Tirones arma ſumpturi in jusjurandum adigebantur: ita exauctorandi eodem illo juramento ſolvebantur, priuſquam dimitterentur. Th. Demp. ad cap. 9. l. 10. Antiq. Roſ.

Conjuratio in tumultu, cum ſingulos interrogare non vacabat, qui ducturus erat exercitum, ibat in capitolium, & inde proferens duo vexilla, unum *Roſeum*, quo peditides evocabat, alterum *Cæruleum*, quo equites, dicebat: *Qui vult ſalvam Rempubl. me ſequatur*; & qui conveniſſent, ſimul jurabant.

Evocatio, cum ad diverſa loca diverſi propter cogendos mittebantur exercitus.

Militum ordines numerantur quatuor: *Pilani* ſive *Velites*, qui minimi ætate & fortunæ tenuioris erant. 2. *Haſtati*, his adultiores. 3. *Principes*, ætate ac robore præſtan-

ſtantiores. 4. *Triarii*, milites veterani ſpectatæ Virtutis, qui tertio loco cæteris profligatis prælium inibant. Haſtati enim primo loco, Principes ſecundo pugnam capeſſebant, quibus fugatis Triarii ſubſidio veniebant; unde natum Proverbium: *Res ad triarios rediit.*

Præterea militum alii *Munifices*, alii *Immunes*. Illi, qui munus facerent, foſſas & vallum ſtruerent, excubias ſtationéſque obirent, quales omnes gregarii. *Immunes*, qui his omnibus vacabant; hi & *Beneficiarii* dicebantur. Duo & horum erant genera, alii, qui ex lege & more, alii qui ex beneficio vacabant. *Ex Lege* Tribuni & Centuriones, qui munerum exactores erant, non actores, item Equites & Veterani. *Beneficio*, quibus id indultum per gratiam, vel quod Virtute meruiſſent.

Erant & *Adſcriptitii*, qui ſupplendis legionibus adſcribebantur. *Ferentarii*, levis armaturæ milites, à *ferendo auxilio* ſic dicti, vel quia *fundis* & lapidibus pugnabant. *Rorarii*, qui ante prælium juſtum quaſi rorantes dimicabant. *Duplicarii*, quibus ob Virtutem duplicia cibaria dabantur. Vegetius ita: *Armaturæ duplares, qui binas con-*

consequuntur annonæ; *Simplares*, *quæ singulas*.

Volones, qui post Cannensem cladem voluntariè se ad militiam obtulerunt.

Primani, *Secundani*, *Tertiani*, à numero Legionum, in quibus militabant.

Tesserarii, qui tesseram per contubernia militum nunciabant.

Metatores, qui præcedentes locum eligebant castris.

Mensores, qui in castris loca dimetiuntur, in quibus tentoria milites figant; vel qui hospitia in Civitatibus præstant.

Tubicines, *Cornicines* & *Buccinatores*, qui tubâ vel ære curvo & buccinâ prælium committere solebant.

Calones & *Lixæ*, militum ministri. *Calones* à Gr. κάλον dicti, qui ligneas clavas gestabāt, & ligna militibus subministrabant. *Lixæ* aquas apportabant.

Militaris cibus & potus. Salem & legumina data militibus lego, bisq; die hos cibum sumpsisse, prandium tenue, & stantes sine ullo apparatu; cœnam verò paulò lautiorem, idq; non nisi ad signum. Antiquiores etiam panis loco pulte usi, unde Romani à Plauto dicti *Pultiphagi*. Vulgus aquâ merâ

merâ uſum, interdum aceto aquâ mixto. Ævo poſteriore ſub Imperatoribus militi lardum datum, caſeus, poſca, quæ potio ex aquæ acetique miſturâ temperata, & buccellatum, qui panis ad uſus diuturnitatem excoctus. Allii quoq; frequens uſus; hinc proverbium: ne edas allia & fabas, quo, teſte Suidâ, ſignificabatur, tranquillæ vitæ amatoribus, à bellis & judiciis (in his enim fabæ, in illis allii uſus) abſtinendum Joſ. Laur. l. 1. Prlym. Diſſ. 40.

Militis ſtipendium. Romani milites initio ſtipendium non meruerunt, ſed de ſuo quiſque eô functus eſt munere. Diurnum poſtea peditis ſtipendium fuerunt oboli duo, Centurionis duplex, Equitis drachma. Oboli duo, ut Lipſius ſupputat, aſſes Romanos tres faciunt, vile profectò ſtipendium, quod Julius Cæſar duplicavit, Auguſtus auxit, & poſt hunc alii.

Militis ætatem quod attinet, ante ſeptimum decimum & poſt quadrageſimum ſextum ætatis annum non niſi ſummâ neceſſitate cogente, quiſquam vocari ſolebat Obſervandum & illud, quod inter milites recipiendus cingi conſueverit, neque in caſtris diſcinctus ſine notâ quiſquam verſatus ſit,

Milliarium

Miliarium aureum, erat columna aurata in foro Romano, in qua omnes Italiæ viæ inciſæ terminabantur. Eadem erat quaſi caput reliquorum lapidum, quibus milliaria olim ſignabantur, unde *lapis* ſeu *cippus* frequenter pro milliari apud Latinos Scriptores accipitur. *Milliaria cohors* à numero militum ſic dicta eſt.

Mimus, eſt ſermonis aut factorum cum cum laſcivia imitatio. Et poëma Mimus dicitur, & ipſe imitator. *Pantomimi* omnium rerum imitatores. *Archimimi* Mimorum Principes. Iidem vocabantur *Planipedes*, quòd nudis pedibus agerent, cum Comici ſocco, cothurno Tragici agerent induti Mimos etiam ſive ſcurras γελωποιὸς duplices fuiſſe conſtat, *Domeſticos*, menſarum obſeſſores, quos & Paraſitos vocant: *Urbanos*, qui in ludis publicis exclamationibus ridiculis & geſtibus indecoris populo riſum movebant, ob id *Sanniones* & *Gelaſiani* dicti. De hujus loci & ordinis homine loquitur Claudianus, inquiens:

Qui lætis riſum ſalibus moviſſe facetus,
Qui nutu manibúſque loquax.

Minerva, quaſi *Meminerva* dicta à *monendo*. Mille Dea eſt operum, Dea ſapientiæ

&

& belli, olei & lanificii inventrix. Ex Jovis cerebro à Vulcano, securi divisо, nata fingitur, quia sapientia Dei donum est. *Pallas* vocabatur, ἀπὸ τῆ πάλλειν τὸ δόρυ, à vibrandâ hastâ. *Tritonia* à Tritone palude, ad quam primùm conspecta. Γλαυκῶπις à torvo vultu adspectuque. Innupta mansit, quo de lepidè Owenus libr. 2. Epigr.

Vulcani formosa Venus, Jovis inclyta Juno
Uxor erat, nulli nupta Minerva viro.
Cur ita? Pallas enim, cum sit Sapientia, nulli
Nubere vult homini, cur? quia nemo sapit.

Minerval aut *Minervale*, munusculum, quod discipulus primo suo ad Magistrum ingressu, velut auctoramentum quoddam parati ad discendum animi adfert & offert Magistro: non enim Magisterii merces, quæ menstrua erat & Idibus persolvebatur, sic dicta est, sed Minervalia, Strenæ & Sportulæ additamenta erant gratuita, quæ pactæ mercedi pro cujusq; facultate accedebant. Moris etiam erat, ut imagini Minervæ, in Scholis poni solitæ, novus Magister primitias munusculorum à discipulis oblatorū, quæ Minervalia appellata esse diximus, dedicaret. Matth. Martin. in Lex. Phil.

Missio. Hæc duplex: *Justa & Injusta*. Illa iterum

iterum duplex: *Honesta*, si legitima miles stipendia confeciſſet; ea erant viginti annorum in pedite, decem in equite, si quis aliter se ſubduxiſſet, mors aut ſervitus pœna. *Cauſſaria*, quæ datur ob vitium, defectum morbum. *Injuſta*, erat vel *Gratioſa*, per gratiam aut ambitum ab Impp. impetrata; vel *Ignominioſa*, quâ ob delictum aut crimen aliquis militiâ ſolutus. Huc pertinet *Vacatio*, quæ triplex 1. *ab ætate*, cum ſupra quinquageſimum annum aliquis erat. 2. *ab honore*, si quis in Magiſtratu, aut Sacerdos. 3. *à beneficio*, si cui Senatus populuſque indulſiſſet.

Mitra. Mitræ, capitis ornamenta mulieribus propria. Pilea virorum ſunt, mitræ fœminarum.

Mnemoſyne, ſive Memoria Muſarum Parens, cui *auris* conſecrata, ut *caput* Jovi, *pectus* Neptuno, *ſupercilia* Junoni, *frons* Genio & Pudori, *Oculi* Cupidini, *dextra* Fidei, *dorſum & poſticæ partes* Plutoni, *pedes* Mercurio, *genua* Miſericordiæ, *digiti* Minervæ &c.

Mulleolus. vid. *Calceus.*

Municipium, oppidum erat jure civium Romanorum donatum. Municipiorum duo

erant

ernat genera: aliis enim civitas Romana cũ ſuffragio, aliis ſine ſuffragio communicata eſt. Suffragium autem pro optimo Civitatis jure veteres acceperunt.

Municipes, erant cives Romani ex municipiis, ſuo jure ſuiſq; legibus utentes, muneris tantùm honorarii cum populo Romano participes; unde & nomen natũ. Primi Municipes ſine jure ſuffragii *Cærites* ſunt facti, ob ſacra bello Gallico recepta & cuſtodita, quo de alibi. Municipes ſecundi generis ſuis legibus ſpoliati, Romanis obſtringebantur: hi omnia jura habebant, quæ cives Romani, ſolo domicilii jure excepto. Municipes extrinſecùs in Civitatem veniunt, Coloniæ ex Civitate quaſi propagatæ ſunt.

Munus. vid. *Gladiator*.

Murcia, Dea deſidiæ, ut *Strenua*, quæ ad agendum ſtrenuè impellebat.

Muſculus. vid. *Machinæ*.

N.

NÆnia, Dea funerum. Aliâs *Nænia* ineptum & inconditum carmen eſt, quod in funere à Præficâ canebatur laudandi gratiâ Horat. od. 20. l. 2.

Abſint

Abſint inani funere næniæ,
Luctuſque turpes & querimoniæ:

quaſi diceret; cum immortalis ſim ſcriptorum famâ futurus, omnis etiam pompa ſumptuſq; funebris eſt futurus inanis & ſupervacaneus, Aliàs & pro quovis carmine ab eodem uſurpari videtur. Od. 28. l. 3.

Dicetur merita nox quoque nænia,

Conf. Lambin. in loc. alleg. vid. ***Funus.***

Naſcio ſive *Natio*, Dea, quæ naſcentibus præerat.

Natalitii Ludi, qui in natalibus magnorum virorum edebantur. Natalitia aliàs erant duplicia: alia, quæ ſtatim poſt partum vel paullo pòſt celebrata, vocabantur *Puerperalia* vel *Repotia*, quo die infantibus nomina impoſita. *Amphidromia* agebantur quinto à nato infante die, cum puerum circum focum currentes ferebant, & propinqui munera miſſitabant. Alia Natalitia *annua*, quæ conviviis quotannis celebrata, & tunc Amicis natalem celebrantibus clientes munera mittebant. Mart. l. 8. Epigr. 54.

Ut poſcas, Clyte, munus exigaſque
Uno naſceris octies in anno.

Joſ-

Joſ. Laurent. l. 2. Polym. Differt. 35.

Navis. Apparatus navium *Claſſis* dicebatur ἀπὸ τῶν κάλων. Navis à Græco νάω, fluo; vel à Lat. *nato*. Partes navis potiſſimæ *Carina*, pars navis infima. *Prora* anterior. *Puppis* poſterior.

Roſtra, pars navis primore in prorâ exporrectior, & cunei in modum acutior: nomen habet *ab avium roſtris*.

Tutela, navis ſignum in prora, unde navis nomen accipiebat.

Oculus, locus erat, cui navis nomen inſcribebatur.

Fori, tabulata navium aut loca aperta, quæ iter navem perabulantibus præbent.

Pons, ſcala navalis, quâ excipiuntur aut in terram exponuntur vectores.

Tranſtra, tabulæ, in quibus remiges ſedent; quæ & *Juga* à Poëtis dicuntur.

Scalmus, lignũ teres, cui remi loro alligãtur.

Sentina, pars inferior navis, in quam omnes ſordes confluunt.

Nautea, aqua ſordida ſentinæ.

Antlia, machina, quâ nautea è ſentinâ attrahitur.

Malus, arbor navis, quæ erecta vela ſuſtinet. Partes *Mali*, *Calx*, mali pars infima. *Carche-*

ſium, ſuprema pars ſive foramen, per quod in ſummo malo funes trajiciuntur. *Antenna*, lignũ tranſverſum in malo, quod velum ſuſtinet.

Remi, ſunt perticæ, quæ in palmam quaſi deſinant, unde & à Poëtis *palmæ* vocantur, quibus naves impelluntur & aguntur. Dicuntur & *Tonſæ*.

Palmula, manubrium remi, ſive capulum.

Clavus, navis gubernaculum.

Anſa, ſumma pars clavi.

Anchora, dens ferreus ad ſiſtendas naves. Inter anchoras una *ſacra* dicebatur, quam non niſi ſummâ urgente neceſſitate nautæ expediebant.

Rudentes, funes navium.

Pes funis, quo velum tenditur.

Camelus, funis craſſus, quo nautæ in alligandis anchoris utuntur; vocatur & *Retinaculum*.

Tranſenna, funis extentus.

Velum, linteum quoddã eſt ad navium celeritatem repertum, quod quaſi ala eſt navis.

Apluſtria, navium ornamenta.

Corbita, genus navigii tardum & grande. Naves enim onerariæ loco ſigni in ſummo malo *corbes* habebant ſuſpenſas; bello paratæ

ratæ *galeam*; ad celeritatem, Mercurii *petasum*; pacificatoriæ *Caduceum*.
Celoces, naves breves à celeritate sic dictæ.
Lembus, navicula brevis piscatoria.
Scaphæ, naviculæ, quæ naves majores consequuntur.
Phaselus, navis velox & oblonga, lembo non absimilis.
Lintres, naves fluminales.
Paro & Myoparo, pyratarum navigia. Plura passim extant.
Instrumenta, quorum usus erat in prælio navali:
Harpago, pertica ferro adunco præpilata, quâ navis tenebatur.
Manus ferrea, harpago ferrea pluribus uncis divisa, quâ naves in conflictu navali colligabantur.
Priusquam peregrè ituri navem conscendebant, litora tangebant terramq; osculabantur. Valer. l. 4. Argonaut.
Ultima tum patriæ cedens dedit oscula ripæ.
Exeuntes quoq; è navi gratulabundi & venerabundi terram tangebant osculantes, quo de passim.
Naumachia. vid. *Gymnici ludi*.
Nemesis, ἀπὸ τῆς διανεμήσεως, quod suum cui-

que ex meritis tribuit, Dea ultrix ſcelerum. *Alata* fingitur, & rota ſub pedibus, quia raro, dicente Horatio, *antecedentem ſceleſtum deſeruit pede pœna claudo.* Pingitur cum freno & menſurâ cubiti, quod nihil ſine menſura & freno agi oporteat. *Rhamnuſia*, à Rhamnunte Atticæ vico dicitur.

Neptunus, potens maris Deus, à *nubendo* dictus, quod nubat, id eſt, operiat terras. Frater Jovis; quo cœli, & Plutone inferorum ſibi dominium vendicante, maris ipſe imperium occupavit, juxta verſum:

Jupiter aſtra: fretum Neptunus: Tartara Pluto.
Regna paterna tenent; tres tria, quiſque ſuum.

Primus equos domuiſſe fertur, ob quod *Hippius* dictus & *Equeſter*; inſigne ejus *Tridens.*

Nexus. vid. *Addictio.*

Nobilis Nobiles dicti ſunt, qui majorum ſuorum imagines habuerun: *Novi*, qui ſuas tantùm: *Ignobiles*, qui nec Majorum, nec ſuas. *Imago* erat inſignis alicujus viri ſimulachrum, oris ſimilitudinem artificioſè effictam & coloribus pigmentiſque adumbratam

tam referens, quod in celebriore domus parte ligneo armario includebant. Habebant autem *jus imaginis* hi tantùm, qui Magiſtratus Curules gerebant. In diebus feſtis apertis armariis imagines illas exornabant; in funere etiam Domeſticorum unà efferebant. Grammaticis *Nobilis* idem ac *notus*, hinc apud Comicos *meretrix nobilis*. Nobilis alius a crumenâ, ut loquitur Suidas, *qui ſuperbus ambulat pecuniâ*; Horat. alius à doctrinâ, alius à ſplendore natalium, quæ dicitur εὐγένεια, alius à virtute, quæ vocatur ἐξοχή. Et hic nobilitatis gradus honeſtiſſimus eſt, ſi quis ſuâ, non majorum virtute nitatur. Juv. Sat. 8.

Tota licet veteres exornent undique ceræ
Atria, Nobilitas ſola eſt atque unica Virtus.

Et Lycus apud Sen. in Herc. fur. Act. 2. Sc. 3.

—— Nobiles non ſunt mihi
Avi, nec altis inclytum titulis genus,
Sed clara Virtus.

Nocturninus, Deus, qui nocti præerat. Hinc Soſia apud Plautum in Amphitr. ait: *Credo hac nocte Nocturninum obdormiviſſe ebrium*: ille noctis inſolentem diuturnitatem admiratur dicitque, Nocturninum e-

brium obdormiviſſe, quod noctis ſpatia longius prorogarentur, quorum erat rector moderatorque Nocturninus. Jac. Dur. Caſellius l. 2. Variar. Lect. c. 14.

Nomenclator. vid. *Candidatus* Græcis ὀνομαπλόκος vel ὀνομακλήτωρ. A Latinis dictus eſt Nomenclator à *calando* id eſt vocando nomine, qui ſuo quemque nomine appellat, & ignoranti ſalutatoris aut convivæ nomen ſubjicit. Horat. l. 1. epiſt. 6.

Mercemur ſervum, qui dictet nomina, lævum
Qui fodiat latus.

Nec ſolis Candidatis, ſed Cenſoribus etiam ſui erant Nomenclatores. Nomenclatoris etiam munus non infimum erat, ut, ſi quando epulum aut cœna recta danda, nominaret invitatos & vocaret, & ſingulis pro dignitate locum aſſignaret. In Scholis Nomenclator eſt liber, qui rerum nomina percenſet.

Nonae. vid. *Calendæ.*

November, Menſis, ita dictus, quia nonus à primo, nempe Martio.

Novendiale ſacrificium, quod novem diebus continuis fiebat ad expiationem prodigiorum, cum u. g. lapidibus pluiſſet in Albano monte, &c.

Novus homo vid. *Nobilis.*

Nudipedalia. Feſtum apud Ethnicos, Romanos, Græcos, in quo nudis pedibus omnes oportebat incedere; inſtituta autem videntur Nudipedalia, ut terrâ areſcente pluviæ impetrarentur.

Nundina, Dea, à nono naſcentium die dicta, qui *dies luſtricus* nuncupabatur, quô infantes luſtrabantur, & nomen eis imponebatur. Is maribus erat nonus, fœminis octavus.

Nundinæ, quaſi *novendinæ, à novem diebus* ſic dictæ, paganorum ſive ruſticorum feriæ, qui nono quôque die emendi vendendique cauſſâ in Urbem ex agris conveniebant.

Nuptiæ. Has præcedebant *Sponſalia,* à *ſpondendo* dicta, quæ erant mutua promiſſio futurarum nuptiarum: neq; à ſiliæ duntaxat Patre nuptum datum iri, ſed & à Patre viri ductum iri ſponſio interponebatur. Conventiones plerumque in tabulas referebantur, quæ ſignatoriis eorum, qui interfuerant, annulis obſignabantur. Tum Sponſæ à Sponſo *Arrha* dabatur, ut & annulus, quem *Pronubum* Tertullianus vocat, eum initio ferreum & ſine gemmâ mitti conſueviſſe docet Plinius: idem annu-

nulus quarto digito, quem *Medicinalem* vocant, inſerebatur, quia ex eo vena quædam, ut fertur, ad cor uſque pertingit, ut eo etiam pignore quaſi corda jungerentur. Sponſalibus factis nuptiis dies dicebatur. Hîc menſium ac dierum ſuperſtitioſum delectum habebant, menſem Majum, Calendas, Nonas, Idus, & his proximos atros dies nubentes vitabant, tempus autem, quod Idus Junias ſequebatur, conjugio aptiſſimum putabant. Alia erat *Materfamilias*, alia *Uxor*. Quæ per coemptionem in manum venerat, dicebatur Materfamilias, quæ uſu vel farre, non item. Coemptio his ſolennitatibus peragebatur: Vir interrogabat, *an ſibi mulier Materfamilias eſſe vellet?* illa reſpondebat, *velle*: ita & mulier interrogabat, *an ſibi paterfamilias vir eſſe vellet?* ille reſpondebat, *velle*: atq; ita mulier in viri conveniebat manũ; in quâ imaginariâ venditione veriſimile eſt, nummos aliquot dicis gratiâ interveniſſe; & tum mulier in manu mancipióque mariti erat, ſuaq; illi hæres fiebat. Alii tamen Matremfamilias eam dictam eſſe volunt, quæ honeſtè & cum dignitate vixerit, eamq; à cæteris fœminis tantùm mores ſe-

pa-

parâſſe; aut eam, quæ ſæpius peperiſſet. Nuptiæ non niſi captatis primùm auguriis fiebant, nubentis coma haſtâ diſcriminabatur, quia primæ Romanorum nuptiæ bello & pugnâ erant contractæ; *Coronâ* redimiri nova nupta conſueverat; tunica recta induebatur; cingulo cingebatur à viro ſolvendo; velo, quod *Flammeum* vocabant, caput genaſq; obnubebat; vi ſimulatâ ex Matris aut proximæ Neceſſariæ gremio rapta in viri domum veſperi deducebatur à prætextatis pueris, patrimis tribus, quorum unus facem præferebat reliqui duo latera Nuptæ tegebant. In Nuptiis quinque tantùm faces accendi conſueverant, quod matrimonium contrahentes quinq; Deorum indigere putarent, *Jovis adulti*, *Junonis adultæ*, *Veneris*, *Suadelæ*, *Dianæ* ſive *Lucinæ*; quæ faces à Poëtis *tædæ jugales*, *geniales*, *feſtæ* vocantur. Nubentem ſic deductam colus compta cum fuſo & ſtamine comitabatur. Puer item impubes *Camillus* (priſci Camillos & Camillas miniſtros & miniſtras dixerunt) *Cumeram* ſive vas opertum geſtabat, in quo Sponſæ ſupellex. Aliàs Cumera vas vimineum, in quo ab hominibus fortunæ tenuioris frumen-

menta congeruntur & conduntur. Horat. l. 1. Serm. Sat. 1.

Cur tua plus laudes cumeris granaria nostris?

Ad fores mariti, floribus & fronde ornatas, cum ventum erat, nubentes quænam essent interrogatæ, Cajas se esse respondebant, quia Caja Cæcilia, Tarquinii Prisci uxor, optima lanifica fuisse fertur; in ædes etiam introducta jubebatur dicere: *Ubi tu Cajus, ego Caja*, id est, ubi tu Dominus & Paterfamilias, ego Domina & Materfamilias. Postes ingressura nova Nupta, laneâ vittâ ornabat & adipe inungebat; unde Uxores quasi *Unxores* dictæ sunt. Hinc limen januæ transiliebat, aut à Pronubis transportabatur, quia limen tangere vetabat Religio; introductæ dabantur claves, quo significabatur, rerum domesticarum curam illi commiti. Aquâ etiam & igni mariti uxores accipiebant, quâ ceremoniâ innuebatur, eam, quæ nubit, puritatem & castimoniam conservare debere; (aqua purgat, ignis lustrat,) vel alterum ab altero deseri non debere, sed eos in societate qualiscunq; fortunæ persistere oportere, etiam rebus ita ferentibus, ut præter aquam

&

& ignem nihil boni unà frui detur. Tum Sponſæ ejuſq;comitibus *Cœna* dabatur *nuptialis.* Claudianus *Epulas geniales* appellat. *Thalaſſionem* etiam Romani in Nuptiis, ut Græci *Hymenæum* inclamare conſueverant. cum enim in raptu Sabinarum virgo quædam excellenti formâ à Thalaſſii globo rapta eſſet, multis ſciſcitantibus, cuinam eam ferrent deducendam, ne quis violaret, Thalaſſio eam ferri clamitatum; unde vox ea nuptialis facta. Novus maritus etiam nuces ſpargebat pueris, ſignificans, ſe puerilibus ludis & ludicris renunciare. Verſus mollitie & laſciviâ diffluentes canebantur, *Feſcennini* dicti, à faſcino, quod arcere putabantur. Lectus inde nuptialis ſive genialis componebatur à pronubis, ſpectatæ pudicitiæ mulieribus, poſtridie nuptiarum apud novum maritum rurſum cœnabatur, quæ erant *Repotia*; novæ nuptæ à cognatis & propinquis munuſcula, mittebantur, quæ erant *dona nuptialia.*

Nymphagogus qui Sponſam ducit ad Spõſum ex domo paternâ, iſq; apud veteres adhibebatur, cum Sponſus ſecundas nuptias celebraret: tunc enim Sponſus ipſe non ad-

adducebat Sponſam, ſed Amicorum aliquos emittebat. At cum primas nuptias celebraret Sponſus, ipſe cum Amico adducebat Sponſam, & hic Amicus παράνυμφος dicebatur, à Nymphagogo diverſus. Matth. Martin. in Lex. Philol.

Nymphéa, Alii aiunt fuiſſe palatia publica, in quibus nuptias celebrarent, qui habitarent anguſtiùs; alii Nymphea putant loca eſſe publica delectationis gratiâ inſtituta, in quæ non propter uſum, ut in balneas, aqua deduceretur, ſed gratiæ & amœnitatis cauſâ: A *Nympharum ſtatuis*, quibus ornata fuerunt, nomen traxerunt. Aliis Nymphéa vel Nymphæa (ſcriptura enim confunditur) ſunt loca, ubi ſolæ mulieres lavpntur. Alii exponunt Das Dantz Hauſs: aliis Nympheum Sponſi & Sponſæ thalamus, à νυμφεύω nuptui colloco.

O.

Obeliſcus. vid. *Circus.*

Ocrea, crurum tegmen ex ære ad obtegendas tibias accommodatum. Hoc calceamenti genere primi tantùm ordinis milites utebantur, reliqui caligis tibias muniebant.

October, menſis ita dictus, quod *octavus* eſſet à primo, nempe Martio. *Octo-*

October equus, dicebatur equus Victor, qui quotannis in Campo Martio Idibus Octobris Marti immolabatur.

Odéum, publicũ erat ædificium, in quo Citharœdi & Tibicines à Musico, & reliqui actores Scenici ab histrione exercebantur, antequam in Theatrum prodirent; vel in genere locus in ædibus cantui destinatus.

Optimates Romæ dicebantur, qui ita se gerebant, ut consilia sua optimo cuiq; probarentur. Aliàs Optimates sunt Civitatis Principes, & à plebe sic distinguuntur, ut à vulgo proceres: posteaquam enim Senatus cum Equestri Ordine judicia communicavit, tam Equites, quàm Senatores dicti Optimates. *Populares*, qui ea, quæ faciebant quæq; dicebant, multitudini jucunda esse volebant. Cic. pro Sextio. Illi commodis Reipublicæ studebant, hi suis.

Optio. vid. *Centurio.*

Orbona, Dea colebatur, ne orbos faceret.

Orchestra. vid. *Scena.*

Ordo, Romanus populus in tres ordines distributus est, in Senatorium, Equestrẽ, & Popularem. *Senatores* dicti sunt, qui à Regibus primùm, deinde à Consulibus, post à Censoribus in Senatum lecti erant, sive

Patri-

Patricii, ſive Equites, ſive Plebeji fuiſſent. Romulus initiò centum legit, quos à curâ *Patres*, ab ætate *Senatores* dixit, ut ait Florus.

Equites, qui cum haberent Cenſum equeſtrem (quadringenta ſeſtertia,) à Cenſoribus in ordinem equeſtrem legebantur. Horat. l. 1. ep. 1.

Si quadringentis ſex, ſeptem millia deſunt,
Eſt animus tibi, ſunt mores, eſt lingua fideſq;
Plebs eris.

Hi equum publicum alebant, annulum aureum geſtabant, & jus habebant anguſti clavi. Equus iſte publicè datus, privato ſumptu nutriebatur; quod ſi quis ſtrigoſum aut malè habitum equum in Cenſu agendo duceret, mulctabatur & equo privabatur. Agell. l. 4. c. ult. Cenſus iſte tranſvectio vocabatur, cum equi publici nudi traducebantur i. e. ſine ſtrato & dorſuali. De annulo Juven Sat. XI. verſ. 42. Equitum luxum increpans, ait:

Talibus à Dominis poſt cuncta, noviſſimus exit
Annulus, & digito mendicat Pollio nudo.

Cum

CumEquitibus etiamSenatus judicia communicavit, & hi dicti *Judices Selecti.*
Alii erant *Equites*,in Exercitu peditatui oppoſiti,qui equo privato merebant.
De plebe erant qui neq; Senatores,neq; Equites. Unde & Patricii,qui in Senatum lecti non erant, aut cenſum equeſtrem non habebant; Equites item,qui patrimonium conſumpſerāt,aut quibus ob flagitia equus publicus & annulus erat ademptus, de Plebe erant.

Orgia. vid. *Bacchanalia.*

Oſcines aves. vid. *Augurium.*

Oſiris, frater Iſidis, Rex Ægypti, qui & *Apis*& *Serapis* dicitur in formâ bovis adhuc viventis quem & ipſum certis metallis inſignem *Apim* vocabant, Ægyptii hunc religioſiſſimè colebant. Serapis iſte primus pretio MedicinæArtem exercuiſſe dicitur, in cujus templum ægroti deferebantur, cum ſpe valetudinis recuperandæ.Nec deſunt, qui Joſepho, Liberatori ſuo, populum Ægyptium honorem divinum, nomine Serapidis, detuliſſe aſſerant Vid. Th. Dempſt. Paral. ad l. 1. Antiq. Roſ.

Ovatio, honos erat triumpho inferior, nempe cumDux bellum non ritè indictum, vel

cum hoſte non juſto aut parùm illuſtri, ut cum pyratis, ſervis, &c. feliciter geſſetat, aut incruentâ victoriâ potitus erat. *Ovans* urbem pedibus ingrediebatur, coronâ myrteâ redimitus. Nomen habere videtur ab *ovibus*, quas Ovans ſacrificabat, ut taurum triumphans.

Ovile. vid. *Comitia Centuriata.*

Ovum. vid. *Circus.*

P.

PÆdagogus. *Progymnaſtæ* & pueris & viris deſtinati, ut in curſu præirent, exercerent, ad gymnaſium ducerent & reducerent; at *Pædagogi* ſolùm erant puerorum doctores & ductores, quod munus olim demandari ſolitum ſervis domeſticis. Plaut. in Merc. *Servum unà mittit, qui olim à parvulo Pædagogus mihi erat.* Con. Act. 1. Sc. 2. Bacchid. De Diogene notum eſt, quod, cùm in Creta venderetur, præconi dixerit, ut clamaret, vendere ſe ſervum, qui ſciret imperare liberis. Pædagogi etiam dicti Cuſtodes. Horat. in Art. Poët.

Imberbis juvenis tandem, Cuſtode remoto,
Gaudet equis.

Ita & Demipho Getæ ſervo, quem peregrè abiens domi quaſi Magiſtrum reliquerat

rat Act. 2. Sc. 1. Phorm. *Bone custos, salve; columen verò familiæ.*

Paganalia, sive Paganicæ feriæ, rustica sacra agriculturæ causâ susceptæ, quibus agricolæ Cererem invocabant, & potionem burrhanicam, à rufo colore, quem burrhum vocant, sic dictam, i.e. lac sapâ commistum sumebant è certo vasis genere, quod dicebatur *Camella.*

Palæmon. vid. *Portunus.*

Palatinus mons, Romæ à *balando* dictus quod pecus ibi pascens balare consueverit, vel palare i.e. errare soleret. Romulus hunc montem primum muro cinxit. In eo fuit sedes Imperii & domus Augustana, unde cujusvis Principis aulam, aut domum ampliorem *Palatium* dicimus.

Pales, Dea pabuli & Pastorum, cui pro felici pabuli proventu & pecorum incolumitate sacrificabatur. Servius notat Virgilio fœmininum, aliis masculinum esse.

Palilia, à *Pale* dicta, sacra die 21. Aprilis celebrata. Pastores pro felici pecoris partu Pali sacra faciebāt libo & precibus oblatis, oves & ovilia lustrabant aquâ asperſâ & sulphure, olea, lauro incensis; sub noctem ignes ex stipulis excitabantur, quos rustici

ter tranſiliebant; idem dies erat *Natalis Urbis*.

Palladium, Palladis haſtam tenentis ſimulachrum, quod cœlo cecidiſſe fabulati ſunt, addito oraculo, Urbem inexpugnabilem fore, dum in eâ Palladium ſervaretur. Trojâ itaq; à Græcis incenſâ mediis flammis ereptum illud Æneas in Italiam detulit, quod Romæ poſtea Virginum Veſtalium cuſtodiæ mandatum eſt.

Pallium, virorum, puerorum & mulierum veſtis erat, & tunicæ ſive ſtolæ operimentum. Pallium mulierum etiam *Palla* dicebatur. Pallium veſtis Græcorum erat, ut toga Romanorum.

Paludamentum, veſtis, militaris, quæ nunc *Chlamys* dicitur, propriè tamen Imperatorum erat. Paludamentum non ſolùm purpurâ, ſed cocco etiam & auro diſtinctum: Imperator enim ad bellum iturus veſtem mutabat, & Paludamentô ſumptô *Paludatus exire* dicebatur.

Pan, agrorũ paſtorũq; Deus. Virgil. Ecl. 2.
—*Pan curat oves oviumque magiſtros.*
Hunc repentinos terrores & conſternationes immittere exiſtimabant, unde *terror Panicus* dicitur, cujus cauſſa ignoratur.

Pan-

Pantheon, Celeberrimum Romæ templum, commune quasi Deorum domicilium, unde & illi nomen est, vel à cœli formâ; hodieq; extat corpus ejus, licèt ornamentis suis spoliatum, & appellatur Templum D. Mariæ rotundæ; hoc inter pulcherrima Operum Plinius recenset admirandæ Architecturæ exemplum absolutissimum.

Pantomimus. vid. *Mimus*.

Parasiti Apollinis, vid. *Apollinares ludi*.

Parcæ, sorores lanificæ, ut appellantur à Martiale, sic dictæ, vel per Antiphrasin, quòd *minimè parcant*, vel quod ad vitæ usq; terminum fato præstitutum *parcant*. Tres antiquitas Parcas numerabat, quarum prima *Clotho*, colum tenebat, *Lachesis*, filia trahebat, *Atropos*, ea rumpebat. Antiqua Parcarum nomina: *Nona*, *Decima*, *Morta*.

Parma, rotunda erat è ligno coriô superinductô, tripedalem habuit dimẽsionem; Eadem pænè fuit *pelta*, Thracia armatura, nisi quod fortasse haud undiquaque rotunda.

Parricida initiò dictus, qui qualemcunq; hominem occidisset; postea verò is, qui Parentibus aut propinquis mortẽ attulisset. Hujus criminis damnatus culeo insutus

cum cane, gallo gallinaceo, viperâ & simiâ, in mare aut profluentem jactabatur.

Parricidium dicebantur Idus Martiæ, quia C. Julius Cæsar in curiâ Pompeji à Bruto Cassio, cæterisque Conjuratis, eo die viginti tribus vulneribus confossus & interfectus est. Inimici autem Cæsaris eundem *Natalem Urbis* dixére.

Patagium, aurea chlamys, quæ pretiosis vestibus superindui solebat. Festus, *Patagium*, inquit, *est, quod ad summam tunicam assui solet, quæ ob id Patagiata dicitur.* Scaliger: *Patagium assuebatur vestibus mulierum, ut clavus virorum.*

Patera, poculi genus latum ac patens, quo in publicis conviviis & sacrificiis antiquitùs utebantur; hinc diminutivum *patella*, vas picatum, sacrificiis aptum, à quâ Plauto Dii minores *Patellarii* dicuntur.

Patibulum, vulgò Furca appellatur, notũ supplicium. Patibuli minor pœna, quàm crucis: Patibulum enim appensos statim exanimat, crux affixos diu excruciat.

Patricius. Romulus genere, virtute, opibus florentes, *Patricios* & *Patres* dixit, & ortis ex his idem nomen mansit; inferioris fortunæ & conditionis homines *Plebejos.*

Illi

Illi ſacra curabant, Magiſtratum gerebant. Rempublicam adminiſtrabant: Hi agrum colebant, pecora paſcebant, &c. Illos Præco convocabat ſuo quemque appellans nomine; hos miniſtri cornibus bubulis contrahebant: mutato verò Reip. ſtatu multa ornamenta Plebeiis cum Patriciis fuêre communia. Patricii & Plebeii opponebantur, ut apud Heb. בני אדם & בני איש filii viri & filii hominis; apud Græcos ἐξαίρετοι & οἱ πολλοί.

Patricii majorum gentium, dicti ſunt ducenti Senatores, à Romulo primùm lecti eorúmq; progenies. *Minorum gentium*, à Tarquinio Priſco ex plebeiis in Patriciorum ordinem primum allecti, & deinde Patrum numero adſcripti; *Patres Conſcripti* à Bruto & Val. Publicolâ poſt pulſos urbe Reges in Senatum allecti.

Patronus & Cliens. Romulus cuiq; Plebeio optionem dedit ex Patriciis eligendi Patronum, quem vellet, qui de jure reſponderet, tam abſentis, quàm præſentis curam gereret, ipſum in privatis publicíſq; negotiis defenderet. Fas non erat, ut alter alterum accuſaret, adverſum teſtimonium diceret, alióve pacto læderet; cujus crimi-

nis convictum cuivis licebat, ut Diti ſacrum, interficere. Coloniæ etiam & ſociæ Civitates Patronos ex civibus Romanis, quoſcunque vellent, eligebant. Et maxima laus erat Nobilium, Clientes habere quàm plurimos. Ingens certamen erat utriſq;, ut Clientes nullum Patronis negarent miniſterium, & Patroni nullo corrupti pretio, Clientes ope ſuâ nunquam deſtituerent. Patroni ab Oratoribus differebant: illi enim in cauſſis tantùm agendis occupabantur; hi è foro aliquãdo excedebant in roſtra, concionem habituri ad populum, aut in Senatum ſententiam dicturi, interdum encomia, nænias aliaque argumenta jucunda magis, quàm ſeria tractabant. Oratores ad exteras gentes obibant Legationes, in quibus modò bellum indicebant, aut res repetebant, & vocabantur *Feciales*, aut veniam orabant pacemq; expoſcebant. Ita Æneas apud Virgil. l. 7. Æn. pacem à Latino Rege petiturus,

—— *Delectos ordine ab omni*
Centum Oratores auguſta ad mœnia Regis
Ire jubet.

Vid. Franc. Pollet. Hiſt. For. Rom. l. 2. c. 6.

Pavor & Pallor, Dii, quibus Tullius Hoſtilius,

ſtilius, cum Fidenatibus pugnaturus, fana vovit. Sed & Febrim & alia Numina, ne obeſſent, néve aliquid afferrent incommodi, Romani habuêre. Athenienſes *Contumeliæ* & *Impudicitiæ* aras ſacrârunt, ut contumelias & probra averterent. Lacedæmonii *morti, timori aliiſq; affectibus* Templa dicârunt.

Pax. Templum Pacis Romæ fuit magnificentiſſimum à Veſpaſiano conſtructum, in quo vaſa Templi Hieroſolymitani repoſita fuiſſe ferunt. Templa Romæ fuerunt quadringenta, viginti quatuor, pleraque ex his magnifica & aliter atque aliter ſtructa vel inſtructa. At de hoc Pacis Templo Herodianus: *Maximum & pulcherrimum omnium in Urbe operum, ditiſſimum item ornamentis auri & argenti excultum: Omnia in hoc Templum collata, ob quæ homines videndi cupiditate anteà per totum orbem vagabantur. Conflagravit ſub Commodo, malo ſanè augurio, ut tunc Romani haud vanè interpretabantur periiſſe ſibi Pacem. HÆC LIPSIUS.* Simulachrum Pacis effingebatur cum ſpicis, olivâ, lauro, rosâ, aut etiam Caduceo.

Peculatus, furtum pecuniæ publicæ. *Peculator*,

lator, qui furtum tale commiſit. Nomen accepit à *pecu*; quia ante æs aut argentum ſignatum ob delicta pœna graviſſima erat duarum ovium & triginta boum. Peculatus principiò Romæ capitalis non fuit, neque capitis diminutione, ſed pecuniariâ pœnâ notatus fuit, ut tertiâ parte amplius, quàm in ſuos uſus convertiſſet, Peculator ſolveret. Damnato autem de peculatu, vel quanti lis erat æſtimata, ſolvendum erat, vel in vinculis, dum ſolveret, miſerè vivendum.

Pedarius Senator. vid. *Senator.*

Pegmata, machinæ quædam ligneæ, quibus utebantur in Theatris & Arenis. In his pegmatis varia notabantur inventa & ingeniorum luſus: hæc enim pegmata ex ſe ſurgebant, tabulata tacitè in ſublime creſcebant, mox eadem ſubſidebant, interdum ſubitâ ruinâ dehiſcebant, ſive tota pegmata, ſive homines, qui impoſiti.

Penates, Dii Præſides & cuſtodes, ſic dicti, quod *per eos penitus ſpiremus*, vel à *penu*, quô nomine ſignificatur omne id, quô homines veſcuntur. Metonymicè pro *Domo.*

Penula, veſtis, quam ſupra tunicam accipimus

pimus pluviæ arcendæ gratiâ; virorum & mulierum communis fuit.

Perduellio. vid. *Majeſtas.*

Petauriſta, qui petauri inſtar in aëre pendet modò ſe deorſum dejiciens, modò in altum ſubjiciens, qui flexu corporis multa variáq; edit ſchemata. *Petaurum* eſt tabella ſeu pertica parieti affixa, ad quam veſpere columbæ & gallinæ ſe recipiunt, ut pernoctent. Matth. Martin.

Phaleræ, ornamenta, quæ equorum frontibus, maxillis, pectoribus addebantur. Hæ donabantur equiti, ut phiala vel armilla pediti.

Phaſelus. vid. *Navis.*

Phiditia, apud Spartanos convivia publica, ad quæ quiſq; de ſuo ſymbolam conferens, parcè ſatis ac frugaliter cœnabat, ex legis præſcripto.

Pietas. Pietatis vox latè patet, ejuſque nomine officia comprehenduntur, quæ Deo, Patriæ Parentibus, optimè meritis debemus. Ædem pietati eo loco Romani conſecrârunt, quô mulier quædam Matrem carceri incluſam, ut fame necaretur, lacte ſuo clàm aluit. Val.Max.lib.5.c.4.

Pileus, eſt capitis tegumentum laneum, ſic dictus,

dictus, vel quòd ex *pilis* fieret, vel quòd capitis *pilos* tegeret. Pileus manumissionis & libertatis insigne fuisse suprà diximus, Nobilitatis item apud Græcos symbolum, apud Romanos Sacerdotii. *Pileati* etiam fuêre Lares, foci custodes. Pilei viatorii dicti *petasi*, unde *Petasati* vocati tabellarii à Cicerone & Plauto. Lipsius primæ classis Antiq. putat, Romanos aperto semper fuisse capite, & solùm quinque temporibus aperto, nempe Ludis, Saturnalibus, Peregrinatione, Militiâ atque Sacris. Deos certè capitibus opertis Romani adibant & venerabantur. Quærit Plutarch. in Problem. X. cur Deos Romani velato capite adorent, & hominibus obviàm facti caput detegant? cujus consuetudinis hanc inter alias rationem affert, quod nim. coram potentioribus caput nudent non augendi hõnoris eorum gratiâ, sed ut eos invidiâ potius liberent ostendántque, eos non poscere sibi eosdem cum Diis honores, neque ferre aut gratum habere, eodem se, quò Deos, modo coli. Jos. Laurent. l. 1. Polym. Differt.

Pilumnus & *Picumnus*, Dii Fratres, quorum ille modum pinsendi frumenti ostendit,

dit, hic agri ſtercorandi uſum invenit, ob id *Sterquilinus* dictus.

Piſtrinum, locus, in quo farina molebatur: antiquitùs enim ante inventum molarum uſum in *pila* frumenta comminuebantur (Pilæ erant vaſa concava, in quibus antiqui ſiccata frumenta pinſebant) poſtea *Piſtrini* nomen & illi loco manſit, in quo molis ſervorum jumentorúmque operâ circumactis comminuuntur. In ea ſervi ob commiſſa ſcelera tradi ſolebant.

Plagæ, grande linteum tegmen, quod uunc torale vel lectuariam ſindonem dicimus, quarum deminutivum *plagulæ*.

Planipedes. vid. *Mimus*.

Plebei Ludi ſunt, quos exactis Regibus pro libertate plebis fecerunt Romani, aut pro reconciliatione plebis poſt ſeceſſionẽ in montem ſacrum. Ediderunt hos ludos Ædiles Plebis, qui & Epulum dederunt.

Plebiſcitum. vid. *Jus*.

Pluteus. vid. *Machina*.

Pluto, qui & *Orcus*, Inferorum Deus, Jovis frater, à *divitiis* ſic dictus, quæ è terræ viſceribus eruuntur. Idem *Dis*, ut 6. Æn, dicitur:

—*ſemper patet atri janua Ditis*.

quod

quod *minimè dives* ſit, vel quod *terrena vis omnis* ipſi dicata ſit. *Summanus*, quaſi *ſummus Manium.*

Pocula. Eorum genera varia, præcipua tria: *Sextans*, quo temperati & valetudinarii; *Deunx*, quo intemperati & bibaces; *Triens*, quo pleriq; in quotidiano victu utebãtur. In convivio paulò hilariore à parvis calicibus inchoantes in capaciores deſinebant, à ſummo ad imum bibebant. Solenne in hoc erat, ut Divo alicui libarent, hoc eſt, ex patera leviter vini aliquid defunderent vel in menſam, vel in terram, quandoque in honorem amici aut amicæ tot cyathos educebant, quot literæ in ipſius eſſent nomine, Unde Martialis:

Nævia ſex cyathis, ſeptem Juſtina bibatur.

Verborum formula hæc erat: *Benè nos, benè vos, benè te, benè me, benè noſtram etiam Stephanium; bibe, ſi bibis.* Plaut. in Stichon. Poculorum materia diverſis temporibus varia fuit. 1. Pocula fuêre *fictilia*, potiſſimùm ex terra Samiâ, quibus pauperes dicéſque uſi ſunt, ea etiam in ſacris adhibita. Auſon, *Epigr.* 8.

Fama eſt fictilibus cœnâſſe Agathoclea Regẽ
Atq; abacum Samio ſæpe onerâſſe luto.

2. *Fa-*

2. *Fagina* vèl *Oleagina*, heroicis temporibus, Ovid. 3. Faſt.

Terra rubens Crater, pocula Fagus erat.

Virgil. Ecl. 3. *pocula ponam fagina.*

3. *Pocula è bovinis cornibus* facta, unde τὸ κιρνᾶν, quod eſt aquæ vinum permiſcere, & craterem, quaſi κιρνητῆρα, ἀπὸ τοῦ κίρνᾶν nonnulli dictum putant. Nonnus in Dionys.

καὶ δέπας ἀγκύλον εἶχε βοὸς κέρας.

Et poculum curvum habuit bovis cornu.

4. *Vitrea.* Vitrum enim in deliciis olim non ſpernendis. Mart. l. 1. Epigr.

Baſſe bibis vitro,

Ideoque nepotibus præſertim in uſu. Vitrum hoc noſtro multò erat lentius, ut flecti plicaríque poſſet, ſi qua fides Plinio habenda. Tale vitrum, quod terræ vi ſummâ alliſum, illæſum infractúmque manſit, Tiberio Principi ab Artifice oblatum ferunt, quem ille necari præcepit, ne, ſi hoc artificium innoteſceret, aurum & argentum vileſcerent. Conf. Plin. libr. 36. c. 26.

5. *Cryſtallina*, tam prodigioſi pretii, ut aurum gemmáſq; ſuperarent. Hinc Vedius, Pollio, cum apud eum cœnaret Auguſtus & unus è ſervis Cryſtallinum fregiſſet, eum

eum ad mortem rapi jussit, nec vulgari morte periturum, murænis eum objici jussit; at puer è manibus evasit, & ad pedes Cæsaris accidit, nihil aliud petiturus, quã ut aliter periret, nec esca fieret; motus autem novitate crudelitatis Cæsar, & illum mitti & crystallina omnia coram se frangi mandavit, Sen. l. 3. de Ira c. 40.

6. *Murrhina*, luxuriosis, nepotum conviviis adhibita, e murrha facta, lapidis genere cum odoris præstantia commendabili, tùm colorum varietate insigni. Juven. Sat. 6. X. 156.

Grandia tolluntur crystallina, maxima Murrhina. (*rursus*

7. *Electrina*, Magnatibus in pretio.

8. *Argentea*, Et continentiores quidem argentum purum, nullísq; emblematis cælatum habere gaudebant; nepotes verò totos quandoque census profundebant in mirabiles sculpturas.

Juvea. Sat. 10.

Pauca licet portes argenti vascula puri,
Nocte atque ingressus gladium contúmq;
timebis.

9. *Aurea*, eáque sæpe gemmis distincta pretiosissimis. Juven. Sat. 10.

—*Nulla aconita bibuntur* *Ficti-*

Fictilibus, tunc illa time, cum pocula ſumes
Gemmata, & lato Setinum ardebit in auro.
Cælabantur etiam aurea pocula. Virgil. l. 1. Æn.

— Cælatáque in auro
Fortia facta Patrum.

Vaſa autem auro ſolido facta admixtíſque gemmis decorata vocabant *Chryſendeta.*

10. *Oſſa* capitis humani barbaris quibuſdam gentibus pro poculis fuerunt, maximè hoſtis à ſe occiſi cranio vel boxis corio tecto, vel inaurato pro poculo Scythæ aliæq; feræ gentes utebantur. Ita Alboinus, Longobardorum Rex primus in Italia, Regis à ſe prælio cæſi filiam Roſimundam uxorem duxerat, ex ſoceri vero calvâ, more gentis, poculum fecerat, quo in ſolennioribus epulis uſus, vino gravior aliquando Roſimundam coëgerat, ut eadem calvariâ biberet, adjiciens: *Propina Patri*; Ea verò indignitatem hanc & contumeliam ulta eſt, Juvene quodam in ejus necem impulſo pactione nuptiarum. Pulchrè Seneca, luxuriæ hoſtis acerrimus, Ep 119. *Natura hoc unum jubet, ſitim extingui, utrum ſit aureum poculum, an cryſtallinum, an manus concava, nihil refert.* Hæc & alia

ſcitu

ſcitu digna lectúque jucunda de pōculis habet Th. Dempſt. in Paralip. ad l. 5. Antiq. Roſin. cap. 30. In conviviis legitimis ſacra pocula tria fuiſſe legimus: Primum Διὸς σωτῆρος, Jovis Soſpitatoris, quod poculum fuiſſe temperatum alii contendunt, ídque boni ominis & valetudinis gratiâ, ut meminiſſent mortales, ſe hoc modo vinum bibentes ſervatum iri. Alterum poculum dictum ἀγαθοῦ δαίμονος, ubi alii intelligunt *bonum genium*, alii *Bacchum*, lætitiæ datorem, alii *bonam fortunam*. Tertium dixêre ἑρμοῦ *Mercurii*, ſomni præſidis, quod & alii vocârunt σαυσίλυπον, eò quòd curas abigeret. Joſ. Laur. lib. 2. Polym. Diſſ. 19.

Pœna. Pœnarum octo erant genera 1. *Damnum* ſive *multa*, pœna pecuniaria; Primis temporibus in ovibus & bobus conſtitit. Suprema fuit duarum ovium & triginta boum; minima ovis unius.

2. *Vincula*, quo nomine complexi ſunt *compedes*, quibus pedes irretiri ſolebant; *pedicas*, quibus pedes vinciebantur; *manicas* quibus manus; *catenas*, *nervos*, *ferreum vinculum*, quo pedes impediuntur; quanquam Plautus eo etiam cervices vinciri ait;

ait ; *Boias*, quæ tam ligneæ, quam ferreæ erant. Scaliger ait propriè eſſe collare ; *Carcerem*, quem Ancus Rex primus ad coërcendos homines ædificavit. Cuſtodia autem reorum duplex fuit, *Carcer* & *privata domus*. Ante confeſſionem in liberas cuſtodias reos tradere conſueverunt. *Liberæ* autem *cuſtodiæ* dicebantur, cum apud Magiſtratus domi, aut apud privatos ponebantur cuſtodiendi. Poſt confeſſionem in vincula publica conjiciebantur. Partes carceris, Tullianum & Robur. *Tullianum* à Tullo Rege eſt additum, in quo juſſu Triumviri capitalis per carnificem peracta eſt ſtrangulatio, quæ laqueo fiebat. *Robur* locus erat in carcere, unde præcipitabatur maleficorum genus, quod ante arcis robuſtis includebatur. Cuſtos carceris dictus eſt *Commentarienſis*, qui Triumviro capitali, cujus ſumma carceris & animadverſionis cura fuit, parebat.

3. *Verbera*, virgis & fuſtibus inflicta ſunt. Virgis uſi ſunt Magiſtratus, cum expeditis faſcibus Lictores animadverterunt in terga ; præceſſit autem verberatio ultimum mortis ſupplicium. *Fuſtigatio* in caſtris adhibebatur, de qua ſuo loco.

4. *Talio*, ſimilitudo vindictæ eſt, ut talia quis patiatur, qualia fecit, ut & in lege divinâ ſcriptum eſt, oculum pro oculo, dentem pro dente.

5. *Ignominia*, fuit infamia, quæ jus munerum honorúmque civilium fermè ademit.

6. *Exilium*, illud intellexerunt, cum aquâ & igni interdixerunt. Exilium non nominabatur in irrogatione pœnæ, ſed aquæ & ignis interdictio, quam neceſſariò ſequebatur exilium: neq; enim ſine aquæ & ignis uſu quiſquam in Urbe eſſe poterat. *Exilium*, inquit Cicero, *non eſſe ſupplicium, ſed perfugium portúmq; ſupplicii: nam qui volunt pœnam aliquam ſubterfugere, aut calamitatem, ſolum vertunt, i. e. locum & ſedem mutant.* Exilii autem duo fuerunt genera, unum *voluntarium*, ſi reus ante latam à Judicibus ſententiam in exilium abiret, ut legis pœnam vitaret: alterum *Legitimum*, cum reus non verbo quidem, re tamen ipſa in exilium mittebatur, dum ei rectô, aquâ & igni interdicebatur. *Relegati* dicti ſunt, quibus ignominiæ aut pœnæ cauſâ neceſſe fuit ab Urbe abeſſe lege aut edicto Magiſtratûs.

7. *Servitus*, quæ pœna propoſita fuit iis, qui

qui nomen ſuum in Cenſum non detuliſſent, aut citati nomen in militiam non dediſſent.

8. *Mors*, quam attulerunt aut ſecuri percutiendo, aut arbori infelici ſuſpendendo, i.e. in crucem agendo, aut de ſaxo Tarpeio, aut de Robore præcipitando, aut culeo juſutum in profluentem projiciendo, aut laqueo gulam frangendo. Interdum etiam contumeliæ cauſâ cadavera impacto unco in Tiberim, aut ad ſcalas gemonias trahebantur. Hæc pœnarum genera in duo nomina diviſerunt, *Mulctam* & *Caput*; unde judicia alia *Capitalia* fuerunt, quibus exilium, ſervitus, mors irrogabatur: *Non capitalia* de cæteris pœnarum generibus. Habitus ſtatúſq; hominis ad mortem damnati peti poteſt ex Suetonio, qui ita de Vitellio Imp. de ſumma dejecto: *Religatis poſt terga manibus, injecto cervicibus laqueo, veſte diſciſſâ ſeminudus in forum tractus eſt inter magna rerum & verborum ludibria, per totum Viæ ſacræ ſpatium reductâ comâ capite, ceu Noxii ſolent, atque etiam mento mucrone gladii ſubjecto, ut viſendam præberet faciem, neve ſubmitteret.* Etiam hodie cæſaries reorum ab ipſo

carnifice ante ſupplicium detondetur, ne ſylva capillorũ, quæ ferè in carceris ſqualore alitur & creſcit, aciem gladii retundat, ant alioquin officiat in animadverſiõe.

Pœnæ militares. Hæ duplices fuerunt: *Leniores* & *Acerbiores. Lenis* animadverſio fuit, quæ ignominiam tantùm inuſſit. Ignominia ea multiplex erat.

1. Cum hordeum pro tritico dabatur, ut indigni viderentur militum cibo.

2. Cum ſtipendium ſubtrahebatur, qui *milites ære diruti* dicebantur, & æs reſignatum militi dicebatur cum ob delictum, ne ſtipendium ei daretur, in tabulas erat relatum, atque ita puniebatur miles infrequens, qui abeſſet aut abfuiſſet à ſignis.

3. Cum extra caſtrũ aut vallum miles tendere jubebatur, interdum & ſine tentoriis.

4. Diſcinctum & turpi habitu proſtitui, ut parũ viro dignũ. Inprimis detractio calcei nota erat infamiæ ignominiæq; militaris.

5. Cum haſtam dare jubebatur, quæ vocabatur Cenſio haſtaria.

6. Cum ſtans cibum potúmq; capere cogebatur, quod de cœna intelliges: nam in prandio uſitatum ſtare.

7. Cum foſſam fodere inſpectante exercitu cogebatur.

8. Cum

8. Cum ignominiæ cauſſâ militi *venam ſolvi & ſanguinem mitti* jubebant, quæ ſanguinis miſſio aliàs malè ſanis ſolet eſſe remedio.

9. Mutare militiam, quod erat ab honeſtiore genere in humilius transſcribi.

Gravior animadverſio erat *Fuſtigatio*, cum Tribunus ipſe condemnatum leviter tangebat, & quaſi ſigno dato reliquæ multitudini militari objiciebat, quo facto omnes, qui in caſtris erant, ferientes, alius fuſtibus, alius lapidibus in ipſis caſtrorũ Principiis hominem occidebant. Ita puniebantur, qui vigilias aut circuitiones neglexiſſent, furto aliquid è caſtris abſtuliſſent; falſum teſtimonium dixiſſent; aut ſi qui falſò ſtrenuum aliquod factum ſuum honoris præmiique cauſſâ ad Tribunos retuliſſent; qui ter ob eandem culpam mulctati fuiſſent; qui in præſidio aut ſtatione poſiti per metum deſeruiſſent locum, aut arma in diſcrimine abjeciſſent; qui à Græcis ῥιψάσπιδες dicti, erant infames. Hæc Pœna dicta *fuſtuarium*. Quod ſi plures peccaſſent & manipuli aliquot locum deſeruiſſent, fiebat *Decimatio* quâ decimus quiſque ſorte ad ſupplicium legebatur, interdum & *Vi-*

ceſimatio adhibita, imò & *Centeſimatio*. Quandoque qui deliquerat, ſub furcâ diu cæſus virgis, Seſtertio nummo veniebat; alii præterea ſecuri percuſſi (in ſecuris locum ſub Impp. ſucceſſit gladius) alii in crucem ſublati ſunt.

Poëtæ. Poëtæ nomen olim venerandum, quia temperantiæ omniumque Virtutum magiſtri dicti, σοφοὶ & σοφισταὶ. Vid. Cic. in Orat. pro Arch. Coronâ erant redimiti Poëtæ verſus ſcripturi aut recitaturi, ut & Sacerdotes & Oratores. Hor. l. 2. ep. 1.

Fronde comas vincti ſcribunt & carmina dictant,

Corona illa Poëtarum erat ex *hedera lauro* vel *myrto*. Poëtæ autem & inculti & diobolares, ut & ludorum actores, ſi artis ſuæ ſpecimen infeliciter darent, lapideo imbre petebantur, quæ dicebatur *lapidatio theatralis*. Contrà felices ac culti ſertis ac floribus fondibuſq; decorabantur, quam Græci συλλοβολίαν id eſt, florum & frondium ſparſionem dicebant. Erant & Poëtarum certamina, in quibus victus coronam ſibi detractam vincenti donabat, quo alludit Flaccus l. 1. Sat. ult. de ſe & Lucilio, quem carpſerat, loquens:

Neque

— Neque ego illi detrahere auſim
Hærentem capiti multâ cum laude coronã.

Hæc enim pœna erat ignavi Poëtæ. Joſ. Laur. l. 2. Polym. Diſſ. 45.

Poli tia, hominis civilis, qui Rempubl. adminiſtrat, vitæ ratio: aut, Politia eſt ordinatio Reipubl. ſecundum quam alii præſunt, alii parent. Ejus ſpecies ſunt *Monarchia* ſive *Regnum*, cum unus ad communem utilitatem imperat, ei opponitur *Tyrannis*. *Ariſtocratia*, cum Optimates ad communem utilitatem imperant, ei opponitur *Oligarchia*. *Democratia*, cum populus ad communem utilitatem imperat, ei opponitur *Ochlocratia*. *Democratia* Romæ viguiſſe videtur, quanquam aliis *mixtum* Imperii Romani ſtatum dicere placet; quæ omnia fuſius & accuratius tradunt & exponunt Politici.

Pollinctores. vid. *Funus*.

Pollux. vid. *Caſtor*.

Pomærium, alii *Pomerium* ſcribunt, quaſi *poſt murum*, quem priſci *mærum* dixerunt. Locus fuit tam intra, quam extra Urbis murum, quem antiqui in condendis Urbibus auguratò conſecrârunt, neque in eo ullum ædificium fieri paſſi fuerunt;

quando igitur Roma amplior facta eſt, Pomœrium prolatum eſt.

Pomona, Dea, quæ pomis præerat.

Pons in Comitiis. vid. *Comitia Centuriata.*

Pontifex. Pontifices ſacris præerant, vel à *ponte*, quia *pons Sublicius* in Tiberi primùm ab his factus & ſæpe reſtitutus; vel à *poſſe & facere*, quod poſſint facere i. e. ſacrificare; vel Pontifex dictus, quaſi *pontem* vel *iter aliis faciens.* Sanè debebat ſupra mundi fluenta pontèm facere Sacerdos populo tranſituro in cœleſtem Chananæam. Penes hos ſummum jus erat de ſacris judicandi, neq; ipſi ulli poteſtati erant obnoxii. Hi lautiſſimè vivebant; unde *Pontificum cœnæ* dicuntur lautæ & opiparæ. Dividebantnr in *Majores* & *Minores*: & ſummus eorum *Pontifex Maximus* vocabatur, qui maximarum rerum, quæ ad ſacra tam privata, quam publica pertinebant, judex erat.

Popæ, Sacerdotum miniſtri, qui ſuccincti & laureati & ad ilia uſque nudi victimas ligabant, & ad aras adductas feriebant.

Populares. vid. *Optimates.*

Portorium, vectigal fuit, quod ex importatione & exportatione rerum venalium capiebatur:

piebatur: *Scriptura*, quod ex pactione pascuorum publicorum: *Decima*, quod ex agris, si qui decimam aut quâvis aliam partẽ darent. Ab ea Publicani *Decumani* dicti, qui hoc vectigal certâ pecuniâ redemerunt.

Portumnus, vel ut alii malunt, *Portunnus*, *Palæmon* aliàs & *Melicerta* dictus, Deus marinus, qui portubus præesse credebatur.

Potina, Dea, quæ potionem ministrabat infanti.

Potitii & *Pinarii*, antiquissimi Sacerdotes Herculis, qui sacris suis præfecit duas has familias, certos à se ritus edoctas. *Potitii* sacra peragebant, *Pinarii* ministrabant. Plaut. in Bacchid. Act. 1. Sc. 2. *Quem ego sapere nimio censui, plus quàm Thalem, idem stultior es barbaro Potitio.* Scilicet simplicitas est antiquitatis, unde Græci ἀρχαῖος vocant stolidos.

Præciæ, dicebantur ministri Flaminum, qui ab iisdem præmittebantur, ut denunciarent Opificibus, ut manus abstinerent ab opere, ne, si Sacerdos opus facientem vidisset, sacra polluerentur.

Præsidanea porca, dicebatur, quæ priusquam novas fruges præciderent, Cereri mactabatur ab eo, qui mortuo justa non feciſſet

feciſſet i. e. glebam non injeciſſet. Aliàs *præcidaneæ hoſtiæ* erant, quæ ante ſolennia ſacrificia pridiè cædebantur.

Præco. Præconum uſus in civitate varius fuit. In auctionibus ad haſtam ſtabant & oblata pretia nunciabant. In concionibus audientiam faciebant. In Comitiis Magiſtratuum Tribus ad ineunda ſuffragia citabant, & eos, qui deſignati erant, renunciabant. In legibus ferendis ſubjiciente Scribâ leges populo recitabant. In Judiciis Judices, Reos, Accuſatores & Teſtes citabant. *Præco* & *Accenſus* ſic differebant, quod ille in Comitiis, concione aut judiciis Magiſtratus voluntatem altâ voce recitabat; hic verò homines privatos ad Magiſtratum accerſebat.

Præfectus Urbis, duplex fuit: *Extraordinarius* ſub Regibus & Conſulibus, qui, antequam Prætor eſt creatus, abſente Magiſtratu ſummum in Urbe imperium habuit. Talis etiam Præfectus Urbis deligebatur Latinarum cauſa Urbe profectis conſulibus. *Ordinarius*, quem Mœcenatis concilio Auguſtus inſtituit, qui urbi præfuit & cauſas eas, quibus competeret provocatio, capitaleſque omnes, paucis exceptis, in Urbe

be & circa eam dijudicavit.

Præfectus Ærarii, ab Auguſto conſtitutus, qui ærario militari, unde ſtipendia militi ſubminiſtrabantur, præerat.

Præfectus Prætorio, qui militibus præerat, quos Imperator in ſui cuſtodiam elegerat. Horum Præfectorum maxima fuit auctoritas, è quibus etiam Imperatores interdum creati ſunt. Moris erat, ut Imperator Præfecto Prætorio lecto cingulum cum gladio daret; unde nota vox Trajani, cum cingulum & enſem Præfecto donaret: *Enſem cape, eóque ſi rectè & è Republ. imperavero, pro me, ſin minus, in me utere.*

Præfectus frumenti populo dividendi ab Auguſto inſtitutus, cum benevolentiæ captandæ ergò frequenter populo, maximè in annonæ difficultatibus, frumentum diſtribueret.

Præfectus Vigilum, qui de incendiariis, effractoribus, furibus, raptoribus cognoſcebat, per totam noctem vigilabat & calceatus oberrabat, admonens inquilinos, ne ipſorum negligentiâ incendia orirentur, interdum eum, qui ignem negligentiùs habuerat, fuſtibus caſtigabat. Vigilibus Tribuni

buni præerant, Tribunus ſuperior Præfectus Vigilum.

Præfectus annonæ, Magiſtratus Extraordinarius, cujus munus erat videre, ne plebs annonæ caritate laboraret, ut pondere etiã juſto ac mũdiciâ debitâ panis væniret.

Præfectus ſive *Tribunus Celerum*, qui Equitibus præerat, & ſecundum à Rege locum tenebat, *Celeres* erant trecenti ex nobiliſſimis familiis delecti juvenes, qui circa Regem erant, ipſum haſtati per Urbem ſectabantur, juſſi miniſteria exſequebantur, in militiâ *anteſignani*, qui primi pugnam inirent & poſtremi ſe reciperent. Celeres dicti vel à *celeritate miniſterii*, vel *à Duce ſuo*. Germãi eos appellare poſſẽt die Petſchierer.

Præfectus Equitũ, qui equitũ alæ præerat.

Præfectus Legionis, cujus Tribuni & Centuriones cæterique milites præcepta obſervabant, qui & abſente Legato poteſtatem maximam habebat.

Præfectus Sociûm, qui auxiliis id eſt, copiis Sociorum præpoſitus erat.

Præfectus caſtrorum, ad quem caſtrorum poſitio, valli & foſſæ deſtinatio pertinebat. Hic, ne qua tormentorum genera deeſſent, utque ægri contubernales probè tractarentur, procurabat.

Præ-

Præfectus fabrûm, qui fabris ferraris, tignariis, carpentariis, cæreriſque artificibus, qui exercitum ſequebantur, præerat.

Præfectura. Præfecturarum conditio duriſſima fuit: ſi qua enim Civitas fidem datam fefelliſſet, in poteſtatem redacta in Præfecturæ formam referebatur, & quotannis in eam Præfectus mittebatur, qui eam adminiſtraret ac jus diceret. Præter Præfecturas, Colonias & Municipia, erant Fœderatæ Civitates, quæ aliquid ex fœdere populo Romano debebant; in cæteris liberæ erant, ſuamque Rempubl. ſuas leges, & Magiſtratus habebant.

Præfericulum, vas æneum ſine anſa patens, quod præferre in ſacrificiis ſolebant.

Præfica, mulier in funeris deductione ad lamentandum & laudandum mortuum conducta, quæ & cæteris in funus prodeuntibus modum plangendi dabat.

Præmia militaria vel *Minora* erant, vel *Majora*. Minora 1. *munera militaria*, Centurionatus. Decurionatus, Præfecturæ.

2. *Cohortis Prætoriæ communio.*

3. *Stipendii auctio.*

4. *Armillæ* ex auro, quibus ſtrenui milites ab Imperatore donabantur.

5. *Ha-*

5. *Hasta pura*, quòd ſine ferro eſſet, ut argentum purum, cui nihil inſculptum, & veſtis pura, cui nihil è purpura attextum. Eadem *Donatica* dicta, quòd Romani eâ fortes viros donarent.

6. *Phaleræ*, de quibus ſupra.

7. *Monilia*, torques, cornicula.

8. *Pecunia*, quæ ante Triumphum ab Imperatore militibus diſtribui ſolebat. Majora erant *Coronæ*, de quibus ſuo loco.

Prærogativa Centuria. vid. *Comitia.*

Præſul. vid. *Salii.*

Prætextatus. vid. *Toga.*

Prætor. Prætores primùm Conſules appellati, quod *præirent* aut *præeſſent*, poſteà hi dicti ſunt, qui jus dixerunt. Initiò duo tantùm fuêre Prætores, *Urbanus*, qui civibus: *Peregrinus*, qui peregrinis jus dixit: ille *Major* & honoratior erat; hic *Minor*. Inſignia Prætorum prætexta, ſella curulis, lictores ſex cum faſcibus, miniſtri, nempe *Scribæ*, qui actiones in tabulas referrent, *Accenſi*, qui citarent & horam eſſe tertiam aut meridiem monerent. *Lictores*, qui populum coërcebant aut ſummovebant. Inſignia propria erant *haſta* & *gladius*. Poſt ſex conſtituti ſunt Prætores; Urbanus &

Pe-

Peregrinus de privatis cauſis egerunt, reliqui quatuor judicia publica exercuerunt, unus de repetundis, alter de ambitu, tertius de Majeſtate, quartus de peculatu. Sulla octo Prætores creavit. Cæſar decem: Auguſtus duodecim. Prætores triſtem & capitalem ſententiam laturi, triſtem etiam induebant tunicam, prætexta poſita, quæ lætitiam præ ſe ferre videbatur: condemnabat itaque Prætor reum in toga ſordidiore aut pullâ, quam *togam perverſam* Seneca vocat l. 1. c. 16. de Ira. *Sunt, qui putant Prætorem floridiorem togæ prætextæ partem intus convertiſſe & hanc togam perverſam eſſe dictam.*

Prætorium. vid. *Caſtrametatio.*

Prævaricatio. Reo abſoluto duo judicia contra accuſatorem inſtituebantur, *Calumniæ* & *Prævaricationis*: Hujus, ſi cum defenſore colluſiſſet, & vera crimina occultaſſet: prævaricari enim eſt vera crimina abſcondere; Ejus pœna infamiæ notatio.

Prandium, olim idem erat, quod *Jentaculum*, poſtea verò diſtinctum ita, ut jentaculum ſumeretur paulo ante prandium. Dicebatur *prandium*, quaſi πρὸ ἀνδρὸς, quod meridie ſumeretur. Priſci prandebant parcè,

parcè, cœnabant largiùs. Erat & *prandium adventorium*, uti & cœna, quæ advenientibus præbebatur. Plautus passim: *Advenienti quid tibi cœnæ dabitur?* Græcis Heroibus Doctorum nonnulli tribuunt tres τροφὰς. Sub auroram ἄριστον sub meridiem δεῖπνον, sub vesperam δόρπον. Sunt, qui quater illos comedisse asserunt: ἀκρατίσμα, ἄριστον, ἐπόρισμα, δεῖπνον. *Acratisma* dicitur à vino non diluto, quod panem mero intinctum mane comederent. Vid. Athen. lib. 5. & Plut. in Sympos.

Priapus, Deus impurus, hortorum custos. Virgil. Ecl. 7. *Custos es pauperis horti.*

Princeps juventutis. Quos Imperatores ex filiis, nepotibus, aut aliis sanguine junctis, in quibus præclaram indolem deprehendebant, imperio destinârunt, *Principes Juventutis, Cæsares & Cæsares Nobilissimi* dicebantur, & tum Cæsaris appellatio non familiæ, sed dignitatis erat.

Princeps Senatus. vid. *Senatus.*

Principium, quæ Curia appellata sit, vid. *Comitium.*

Proconsul (nonnulli scribunt *Proconsule*) qui proximo post Consulatum in Urbe gestum anno in Provinciam Consularem profectus

profectus, eam pro Consule gubernabat. Lege verò Semproniâ constitutum fuit, ut antequam novi Consules & Prætores designarentur, duæ provinciæ Consulares, & sex aut plures, pro numero Prætorum, Prætoriæ, à Senatu futuris Consulibus & Prætoribus decernerentur, quas illi designati sortirentur aut inter se compararent, ita, ut finito annuo Magistratu Urbano in eas proficiscerentur. Iturus in provinciâ SCto ornatus, viatico instruebatur, annulus ei aureus de publico dabatur, vestes, vasa, vehicula, muli, tabernacula, & id genus alia. Urbe egressurus in Capitolium ascendebat, & votis pro Repub. nuncupatis, ut & Paludamento, Lictoribus, duodecim cum fascibus & securibus, cæterísq; Imperii insignibus assumptis, rectâ ad portam Urbis ibat, atque ita Amicis prosequentibus ac benè ominantibus iter ingrediebatur. Provinciale autem Munus duplex erat: *Potestas & Imperium. Potestas*, facultas fuit cognoscendi, eáq; in Jurisdictione potissimùm versata est, quando Proconsul vel intra Prætorium & in cubiculo querelas Provincialium audivit: quæque ibi transigebantur, ferè per diplomata annulo obsi-

gnata perficiebantur; vel in Basilica & in Tribunali publicè jus dixit, conventu sive foro in aliquam civitatem indicto. *Imperium*, fuit facultas Exercitui imperandi bellúmq; gerendi. Præter hos Proconsules dicti sunt 1. quibus ultra legitimum & annuum tempus Magistratus prorogatus fuit. 2. qui ex privatis in provincias vel ad bellum gerendum missi sunt. 3. qui Monarchiâ constitutâ à Senatu in Provincias, populo à Principe attributas, missi sunt.

Proletarius. Proletarii cives à munere officióq; *prolis edendæ* appellati sunt, quod cum re familiari parvâ minùs possent Rempubl. juvare, sobolis tamen gignendæ copia civitatem frequentarent. In genere etiam *Proletarii cives* dicebantur, qui in plebe tenuissimi erant.

Promulgatio. vid. *Lex.*

Promulsis. vid. *Cœna*

Proprætor. Proprætores initio appellati sunt Prætores Provinciales, qui imperio prorogato in Provinciis ultra legitimum tempus manserunt: deinde & hi, qui Prætura in Urbe gestâ sub finem anni in Provincias profecti sunt, eísq; præfuerunt. Imperium eorum & potestas eadem fuit, quæ

Pro-

Proconsulum, nisi quod sex tantùm Lictoribus usi sunt, unde ἑξαπελέκεις dicti.

Proscenium. vid. *Scena.*

Proserpina. vid. *Ceres.*

Protervia. vid. *Analecta.*

Proteus, Ægypti Rex justissimus, ob merita sua in Deorum marinorum numerum relatus, cumq; mos fuerit Ægyptiis Regibus, tũ ad decorem & ornatum, tum ad stuporem aspicientibus injiciendum, aut leonis, aut tauri, aut draconis priorem partem in capite ferre, insignia Principatus, inde nata est fabula, *Protea in varias se formas vertere solitum.* De eo Virg. l. 4. Geor. v. 407.

Fiet enim subitò sus horridus, atraq; tigris
Squamosúsq; draco, & fulvâ cervice leæna:
Aut acrem flammæ sonitum dabit, atq; ita vinclis
Excidet, aut in aquas tenues dilapsus abibit.

Horatius:

Quo teneam vultus mutantem Protea nodo?

Hinc Proverbium natum πρωτέως ποικιλώτερος, Proteo mutabilior, de homine vafro & versipelli.

Provincia, armis debellata regio, quæ vectigalia populo Romano pendebat, in quam regendam aut Prætores ex Prætura,

quam in Urbe geſſerant, aut Conſules ex Conſulatu mittebantur; Civitates tamen in provinciis non uno modo tractatæ ſunt, ſed aliæ fuerunt *Vectigales*, quibus vectigal aliquod impoſitum eſt; aliæ *Immunes*, quibus nullum; aliæ ſervitute, aliæ libertate pro meritis affectæ.

Pſecas, Pſecades ancillæ ornandis crinibus præfectæ, ἀπὸ τοῦ ψεκάζειν, quod eſt *guttatim defluere, irrorare:* erant enim in uſu fœminis ornatrices quædam puellæ, quæ capita adornarent, crines diſponerent, diſpoſitos aquâ rarâ ſpargerent, Dempſt. lib. 5. Paralip. an Antiq. Roſin. c. 35.

Pudicitia, Dea culta fuit, eáque duobus nominibus, *Patricia* & *Plebeia*, illius ædem ingredi non licebat, niſi iis, quæ ſemel nupſiſſent; in hujus ara nulla, niſi ſpectatæ pudicitiæ matrona, quæque uni viro nupta fuiſſet, ſacrificandi jus habebat.

Pullarius, qui pullorum curam gerebat, è quorum paſtu Augures auguria captabant: Si enim pulli caveâ emiſſi ad oblatam eſcam mox proſilirent, & avidè veſcerentur, fauſtum id habebatur; ſin minus, infauſtum. P. Claudius bello Punico primo navale prælium commiſſurus, cum Pullarius nunciaſſet,

nunciaſſet, caveâ non exire pullos ad paſtum, eos in mare abjici juſſit, dicens: *quia eſſe nolunt, bibant.* Sed claſſem tempeſtate amiſit. Val. Max. l. 1. c. 4.

Pulpitum. vid. *Scena.*

Puticuli, locus Romæ extra portam Exquilinam, in quem damnatorum projecta corpora juſtâ privabantur ſepulturâ, quæ erat pœna Sceleſtorum: *Puticuli* dicti, quod projecta ibi corpora *puteſcerent.*

Pyra, eſt lignorum congeries ad cremandum mortuum extructa. *Rogus* cum ardere cœpit. *Buſtum* jam exuſtum vocatur, quaſi *benè uſtum*, inquit Servius.

Q.

Quadruplator. Quadruplatores ante Cæſarum tempora dicti, qui ad vexandos Reos præmio ducebantur, improbámque voluptatem ex aliena calamitate capiebant, ſeſe ſatiantes civium ſuorum ſanguine, & oculos paſcentes Reorum ſordibus. Talis Caſſius Severus apud Fabium lib. XI. *Dii boni*, inquit, *vivo & quo me vivere juvet; Aſperatem Reum video.* Iidem Quadruplatores, qui poſtea *Delatores* dicti, Græcis *Sycophantæ*; & hi in præmium accuſationis quartam partem bonorum damnati

conſequebantur. Franç Pollet. l. 4. Hiſt. For. Rom. c. 2.

Quatuorviri, viarum curandarum, qui viis tàm intra, quàm extra Urbem muniendis aut ſternendis præerant.

Quæſitor, Judex quæſtionis, aut Prætor rerum capitalium. Quæſtores enim ſive Quæſitores Parricidii aut rerum capitalium creari ſolebant rerum capitalium quærendarum cauſſâ: cum enim de capite civis Romani injuſſu populi Magiſtratus jus dicere non poſſet, Dictator, Conſul, Prætor aliúſve de crimine publico quærere jubebatur, qui juſſus erat, is *Quæſitor* dicebatur. Ita Minoëm cum Æaco & Rhadamantho Judicem ad inferos deſcendentium Quæſitorem Poëtæ vocant. Virgil. 6. Æn.

Quæſitor Minos urnam movet:

eò quod in admiſſa crimina eorum, qui in morte ad inferos demigrant, inquirat, pœnas irroget æquas ſontibus, & animas virorum virtute illuſtrium in homines remigrare jubeat, truculentorum verò in Urſos, fallacium in vulpes, prædonum in lupos, ebrioſorum in porcos, loquacium in piſces, arrogantium, qui quaſi nubes, & inania captant, in alites; quo de dogmate

aut

aut potius delirio Pythagoræ, animarum transmigrationem fingentis, vid. Claudian. l. 2. contra Ruffin.

Quæstio, Quæstiones fuerunt testimonia servorũ vi tormentorũ expressa. Servi autẽ contra Dominos torqueri non poterant, exceptâ causâ Incestus & Conjurationis.

Quæstor. Quæstores Urbani vel *ærarii* duo erant, qui curam gerebant ærarii & vectigalium, pecuniam erogabant & in tabulas accepti & expensi referebant, prædam divendebant, signa militaria custodiebant, Legatos excipiebant. Quæstura primus erat & infimus Magistratus Urbanus, qui ante annum ætatis XXVII. non petebatur. Posterioribus temporibus *Quæstor Palatii* constitutus est, qui easdem partes gessit, qus hodiè Cancellarius.

Quæstores Provinciales, qui unà cum Proconsulibus & Proprætoribus in provincias ibant, & pecuniã publicam curabant, & inde stipendia & viaticum Legatis, Cohorti Prætoriæ, & exercitui suppeditabant; vectigalem etiam pecuniam ex re frumentaria & ex portoriis exigebant, & Romam in ærarium referebant.

Quæstorium in castris. vid. *Castrametatio.*

Quies, quæ quietem faceret, ædem Romæ habuit.

Quinquatrus & *Quinquatria*, Minervæ festum die XIX. Martii celebrandum. Erant etiam & Quinquatrus (seu Quinquatres) quas vocârunt Minores Idibus Juniis habitæ, ut Ovid Fast. lib. 6. v. 651.

Et jam Quinquatrus jubeor narrare Minores
Nunc ades ô cœptis Flava Minerva meis.

Quinquatria dicuntur vel à numero *quinq; dierum*, quibus celebrantur, vel quod quinto post Idus Martias die celebrata sint: primo die fiebant sacrificia, secundo, tertio & quarto gladiatorum edebantur spectacula, quinto Urbis fiebat Lustratio.

Quinquertium, Græce πένταθλον, quod ex quinq; certaminum generibus constabat, *cursu, disco, saltu, lucta, pugilatu.* Qui quinq; his certandi generibus congrediebatur, *Petathlus*, qui in his omnibus vicerat *Pancratiastes* appellabatur.

Quinque viri cis & uls Tiberim Magistratuum vicarii, qui vespertino tempore Magistratu fungerentur.

Quinqueviri ut & *Triumviri mensarii*, quorum creandorum causa fuit fœneratorum improbitas, & æris alieni plebis Romanæ magnitudo.

Quiri-

Quirinalis mons Romæ, olim *Agon*, poſt *Caballus* dictus, nomen habet vel à *Curibus* Sabinorum, vel à *Quirino* cujus in eo templum erat.

Quirinus, Romulus dictus, vel à *Curibus*, Sabinorum oppido, vel ab haſta, quam geſtabat: haſta enim Sabinis *Quiris* dicitur. A *Quirino* Romani *Quirites* videntur appellati. Ovid. 2. Faſt.

Proxima lux vacua eſt, at tertia dicta Quirino
(Qui tenet hoc nomen, Romulus ante fuit.)
Sive quod haſta quiris priſcis eſt dicta Sabinis,
Bellicus à telo venit in aſtra Deus.
Sive ſuo Regi nomen poſuere Quirites,
Seu, quia Romanis junxerat ille Cures.

De apotheoſi Romuli ita Florus l. 1. C. 1. *Romulus cum aliquando concionem haberet, repentè è conſpectu ablatus eſt; diſcerptum aliqui à Senatu ob aſperius ingenium putant: Julius autem Proculus proceſſit in medium, juratò affirmans viſum à ſe Romulum auguſtiore formâ, quam fuiſſet, mandare præterea, ut ſe pro Numine acciperent, Quirinum in cœlo vocari placitum Diis, &c.*

R.

RAlla, veſtimenti genus à *raritate* ſic dictum. Plautus tunicam rallam opponit tunicæ

tunicæ ſpiſſæ. Act. 2. Sc. 2. Epid. Ralla, tunica pellucida, ſpiſſa, denſioris materiæ, quæ totum corpus obtegeret, & à frigoris injuria tueretur. Ralla illa etiam vitrea dicta, ut ſpiſſa, gravis & craſſa. Th. Dempſt. l. 5. ad Antiq. Roſin. c. 31.

Recuperatores, Judices à Prætore dati in privatis controverſiis, apud quos poſſeſſionem rei amiſſæ vel per injuriam extortæ repoſcimus: concepta enim actionis intentione, litigatores aut Judicem, aut Recuperatores, aut judicium poſtulabant, pro naturâ actionis. Judex ſive Arbiter poſtulabatur hac formulâ: *Judicem arbitrúmve poſtulo, uti des in diem tertium ſive perendinum.* In arbitrio autem Prætoris erat poſitum dare aut non dare; ſi daret, dabat, qui ſalvâ lege dari poſſent: quidam enim lege impediebantur, ne Judices eſſent, quidam naturâ, quidam moribus. *Naturâ*, ſurdus & mutus, furioſus, impubes, quia judicio carent. *Lege*, qui Senatu motus eſt. *Moribus*, fœminæ & ſervi, non quod judicio careant, ſed quod lege receptum ſit, ut civilibus officiis non fungantur. Prætor Judicem dabat hâc formulâ: *Eſto Judex, & ſi paret* i. e. manifeſtum ſit, *rem ita eſſe pronuncia.* Regi-

Regifugium, festum erat die 24. Februarii institutum, quo die Rex Tarquinius Româ fugerat.

Regio. Regiones dicti sunt Maiores Urbis partes, *Vici* minores. Romulus Urbem in tres partes distribuit, quas *Tribus* dixit; Augustus in quatuordecim Regiones.

Relegatio. Relegati sunt, ut ait Festus, *quibus ignominiæ aut pœnæ causa necesse est ab Urbe Româ aliove loco abesse lege, Senatúsq; consulto aut edicto Magistratuum. Deportatio* erat, cum in Insulam aliquis relegabatur, unde egredi ei non licebat, Vid. Barn. Brisson. l. 16. de verb. significat.

Repetundæ, pecuniæ dictæ sunt, quas Cives aut Socii contra leges exactas acceptásve à Migistratibus judicio repetebant. Crimen illud primis temporibus capitale non fuit, posteà autem avaritiâ Magistratuum crescente capitale factum est.

Repotia. vid. *Nuptiæ.*

Repudium. vid. *Divortium.*

Res, fuere variæ. *Sacræ*, quæ per Pontifices Deo consecratæ sunt, ut aræ, templa. *Sanctæ*, quæ ut inviolatæ essent, pœnâ propositâ cautum erat, ut Urbis mœnia & portæ. *Religiosæ*, loca, in quæ illati mortui fuerunt.

runt. *Publicæ*, quæ vel omnium hominum communes ſunt, ut aër, mare; vel omnium Urbis alicujus civium, ut fora, baſilicæ. *Res mancipi* vocârunt prædia tam ruſtica, quam urbana, ſervos etiam & quadrupedes, quæ collo aut dorſo domarentur, ut boves, mulos. *Nec mancipi* cæteræ res ſunt appellatæ.

Reſtitutio in integrum. Quia fieri poterat, ut aliquis in actione vel recuſanda, vel accipiendâ multis modis laberetur, poſt ſententiam ſemel latam damnato dabatur poteſtas litis retractandæ, eáq; dicebatur *Reſtitutio in integrum*.

Reticulum, muliebre tegmen capitis, quo capilli continentur: ita etiam dicebatur faſcia lanea vel linea ad formam retis facta, quâ faciei admovebant, ne agnoſcerentur.

Reus, quis dicatur, conſtat. Cum nomen ejus apud Prætorem detulerat accuſator, poſtulabat, ut reciperetur i. e. in tabulas inter reos referretur, recepto Rei nomine Prætor certam diem, quâ accuſator & Reus ad judicium adeſſent, conſtituebat, is dies in aliis legibus decimus, in aliis triceſimus fuit. His rebus actis reus veſtem mutavit, nempe albâ togâ depoſitâ, atram induit, bar-

barbam capillúmque promiſit, ſqualorem contraxit, patronos conquiſivit. Ita ipſe Tullius, cum triſtis illa abitio immineret, circumibat & populo ſupplicabat, cum quo veſtem mutabat univerſus Ordo Equeſtris, quemque ad viginti millia hominum habitu atrato ſequebantur. Veſtis illa lugubris in Bibliis *Sacci* nomine venit, non quidem frumentis & rebus aridis aliis tranſvehendis idonei, ſed שַׂק Hebræis præter alia eſt veſtitus vilis, aſper, ſordidus, durus, laneus aut cannabinus, quo, exutis aut lavatis veſtibus ſplendidioribus, loco interulæ corpus operiebatur, vel lumbi conſtringebantur. Sumebatur autem vel 1. ob grandem imminentem calamitatem, vel 2. ob peccati pœnitentiam, vel 3. ob inſtitutam pœnæ deprecationem. Veſtem etiam in gravi luctu ſcindere ceremonia vetus erat, quâ priſci illi homines cor ſuum ſcindi teſtabantur; ita veſtem ſcidêre Jacob, Ezechias, Caiphas, Paulus, Barnabas, alii. Virgil. l. 12. Æn. v. 609. de Latino Rege.

— *It ſciſſâ veſte Latinus*
Conjugis attonitus fatis urbíſq; ruina
Canitiē immundo perfuſam pulvere turpans.

Dil-

Dilherr. in Dial. Philol. 1. Præterea Reus humili dicendi genere uſus eſt. Cic. l. 2. de Orat. *Non ſemper fortis Oratio quæritur, ſed ſæpe placida, ſubmiſſa, lenis, quæ maximè commendat Reos. Reus* reſpectu Actoris dicitur, collatus ad Patronum *Cliens*, ante ingreſſum *litis Conſultor*. Reus *locuples* accipitur pro inſtructo omni genere defenſionum & quaſi invicto. *Diuturnus*, cujus nomen ſerâ abolitione deletur ex albo. *Incolumis*, qui cauſſam dicturus in jus non ciatur. Idem *Integer*, *Intentatus*, *Indemnatus*, *Indefenſus*, *Inauditus*. Totum illud tempus, quo inter Reos receptus aliquis erat uſq; dum morte, vel aliâ ratione eximeretur, *Reatus* dicebatur, & Rei dicebantur pendere. Franc. Pollet. l. 4. Hiſt. For. Rom. c. 6. Rei abſoluti ſiniſtrum pedem Regibus aut Imperatoribus gratias agentes oſculabantur. Sen. l. 2. de Benef. c. 12. *Cæſar dedit vitam Pompilio Penno, ſi dat, qui non auffert, deinde abſoluto & agenti gratias, porrexit oſculandum ſiniſtrum pedē.* Qui excuſant eum, negant inſolentiæ cauſſa factum, ajunt ſocculum auratum, imò aurum margaritis diſtinctum oſtendere voluiſſe. In fine cap. ſubjungit: Invenit aliquid

quid infra genua, quo libertatem detruderet, (ad genua enim devolvebantur supplices) non hoc est Remp. calcare? Si qui ære alieno obruti solvendo non essent, in agris eorum defixas columnas esse legimus, in quibus descripta erat debiti magnitudo & debitoris nomen, idque eo fine factitatum, ut ne quis postea ei imprudens fœnus locaret.

Rex, qui inter ordinarios Magistratus principem locum tenet. Respubl. Romana primùm à Regibus gubernata est. Officium Regis curare sacra, leges & jura custodire, de gravioribus causis decernere, leviores Senatui permittere, cogere Senatum, convocare populum. Insignia ejus hæc erant: incedebat togâ purpureâ ornatus, judicium exercens in sellâ curuli sedebat, circa se ad custodiam corporis trecentos habebat juvenes validissimos, *Celeres* nuncupatos; *Lictores* duodecim ei præferebant fasciculos virgarum, intra quas obligata securis erat, sic ut ferrum in summo fasce extaret, quo ipso indicatum est iram Magistratus non debere in proclivi esse & solutam. Virgæ autem & secures prælatæ sunt, ut cum vitiorum alia sanabilia sint, alia in-

sanabilia,

ſanabilia, virgis corigerentur, qui emendari poſſent; ſecuribus amputarentur, qui immedicabiles. *Rege* mortuo Senatus *Interreges* creabat, qui optimum virum *Regem* eligerent, qui tum Senatu populóque conſentiente, ſi auſpicia addicerent, imperium aſſumebat.

Rex ſacrorum ſive *Rex ſacrificulus*, qui publica quædam ſacra olim per *Reges* factitata obibat. Huic non licebat opus videre feriis; unde per Præconem denunciabat, ne quid tale ageretur. Ad eundem certâ die ibant Virgines Veſtales, & dicebant *Vigelas ne Rex? Vigila.*

Rhea ſive *Tellus*, uxor Saturni, *Ops* dicta, quod opera fiat melior, vel quod opem ferat alimenta miniſtrando: *Magna mater*, Mater, quod plurima, Magna, quod cibum pariat. Eadem eſt *Mater Deûm. Cybele* à Cybello Phrygiæ monte, in quo à feris enutrita fertur. *Idæa* mater, *Berecynthia*, *Peſſinuntia*, ab Ida & Berecyntho montibus, & Peſſinunte oppido Phrygiæ. Hanc *Romam* transferre oraculis Sibyllinis *Romani* juſſi ſunt; miſſis igitur Legatis, Sacrum Lapidem, quem Matrem Deûm incolæ nuncupabant, acceperunt, cúmq; Vir optimus ho-

hoſpitio Deam excipere juberetur, Senatus id muneris Scipioni Naſicæ delegavit. Atym amâſſe ſcribitur, quo ſublato in furorem acta eſt, ejus Sacerdotes Corybantes, qui furiis correpti diſcurrebant ſaltantes & cymbala pulſantes.

Rica & ricula, certum veli genus, quo mulieres Romanæ capita velabāt. *Ricæ*, inquit Feſtus, *vocantur palliola ad uſu capitis facta.*

Ricinus & *ricinum* veſtis antiquiſſima quadrata à *rejiciendo* dicta, quia dimidiam ejus partem retrorſum jaciebant.

Robigus, Deus à *robigine* vel *rubigine* ita dictus, quod à ſegetibus rubiginem avertere crederetur.

Rubigalia, feriæ die 25. Aprilis inſtitutæ Robigo, ne rubigo arbores & frumenta corrumperet.

Robur, vid. *Pæna.*

Rogus. vid. *Pyra.*

Roma, caput orbis terrarum (Liv. l. 1.) à Romulo & Remo, gemellis fratribus ex Marte, ut ferunt, & Rhea Sylvia natis connita. Urbi à ſuo nomen impoſuiſſe Romulum veroſimile eſt, & quidem ex Ennio conſtat, inter Fratres grave diſſidium fuiſſe, uter Urbi nomen daret. Ennius ita:

Certabant, Urbem Remámne Romámve *vocarent.*

Non deſunt tamen, qui à lectâ Arcadum manu Urbem ſtructam appellatámq; putant, à robore primùm quidem ῥώμη, deinde *Valentiam.* Vid. Thom. Dempſt. Paralip. in Roſ. Antiq. Hieronymus, allegante Lipſio, ita de Roma: *Roma aut fortitudinis nomen apud Græcos eſt, aut ſublimitatis apud Hebræos.* רום eſt altum eſſe, exaltari, רום altitudo, addi poterat tertium ex noſtrâ linguâ petitum, Rom quaſi Rhum. Apud Orientales etiam Indos *Rumes* appellantur milites boni & fortes, quales certè Romani. Servius Comment. in Ecl. 1. ait: *Roma ante Romulum fuit: Politianus triplici olim nomine Urbem Romanam inſignitam fuiſſe refert, & vulgato Romam, arcano Amaryllida, ſacro & rituali Florentiam ſive Anthuſam appellatam.* Urbis pomœrio ſeptem montes incluſi fuêre. Virg. 6. Æn.

Septémq; una ſibi muro circumdabit arces.

Ob quod Prudentius in Romano:

— cum puer Mavortius
Fundaret arcem ſepticollem Romulus.

Hodie magnâ ſui parte in ruinis jacet; unde Poëta:

Qui-

Qui miſeranda videt veteris veſtigia Romæ,
Ille poteſt meritò dicere, Roma fuit.

De Roma veteri verè Martialis:

Terrarum Dea gentiúmq; Roma,
Cui par eſt nihil & nihil ſecundum.

Urbium illa Princeps. Horat. od. 3. l. 4. Virgil. Ecl. 1.

Verùm hæc tantum alias inter caput extulit Urbes,
Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi.

Habuit & Domina Urbs, ut loquitur Lipſius, ſuum Templum. O inſaniam! ædificiis & inanimato corpori non vitam ſolùm attribuêre, ſed & Numen. Sed fecerũt. Inventio & adulatio à Græcis Aſiaticis eſt, apud quos Smyrnæi primi Templum Urbis Romæ ſtatuerunt, nec defuerunt, qui ſequerentur exemplum, non alio fine, niſi ut propitiam ſibi non Urbem, ſed Urbis incolas & Rectores haberent. Hadrianus Imp. in ipſa etiam Româ Romæ templum extruxit, quod videtur fuiſſe ad radices montis Palatini, circa aut in Comitio. Notandum inſuper, quod apud Scriptores propriè Urbs de Roma, ἄστυ de Athenis, πόλις de Alexandria dicatur. Urbis etiam

nomine cives interdum veniunt, ut in illo Virgil. l. 2. Æn.

Invadunt Urbem ſomno vinoq; ſepultam.

Romani ludi, qui & *Magni* & *Circenſes* & *Conſaulia* dicuntur, à Regibus primùm inſtituti ſunt in honorem Conſi, ſive Neptuni Equeſtris, qui conciliorum ſecretorum Deus putabatur. Pugiles & equi in his certabant, in Circo Maximo, inter Aventinum & Palatinum montes, cujus pavimentum erat ex chryſocolla, longitudo trium ſtadiorum cum dimidio, latitudo quatuor jugerum. Ludi hi initiò fuerunt Circenſes, poſtea etiam Scenici.

Rorarii, militis erant levis armaturæ, qui primi prælium committebant, ſic dicti, quod ut ante imbrem ferè rorare ſolet, ſic illi ante gravem pugnam prodirent.

Roſcius. vid. *Hiſtrio*.

Roſtra, templum in foro ex Antiatium navium roſtris adornatum. In roſtris ferebantur leges, agebantar cauſæ & conciones habebantur.

Rudis, virga ſeu gladius è ligno, aut etiam è ferro, ſed hebes. Duplex fuit: Laniſtarum & tyronum. Laniſtæ Rudis, quâ ſecerni cognoſcíq; potuit, è ferula fuit, quâ novi-

tios

tios gladiatores aberrantes cædebat. Rudis ad gymnaſia diverſa ab hac & gladii formâ, fortaſſe etiam ponderoſior. Gladiatores quoq; Veterani, cum à pugnandi neceſſitate eximebantur, libertatem adepti, rude donabantur, & Herculi arma conſecrabant, tanquam Deo, Athletarum præſidi, cujus & ara erat in Amphitheatro. Illud innuit Horat. l 1. ep: 1.

Spectatum ſatis, & donatum jam rude quæris,
Mæcenas, iterũ antiquo me includere ludo,
Non eadem eſt ætas, non mens, Vejanius armis
Herculis ad poſtem fixis, latet abditus agro,
Ne populum extremâ toties exoret arenâ.

Rumina, Dea, quæ mammam, quam veteres dixêre *rumam*, parvulo immulgebat.

S.

S*Acellum.* Sacella, loca Diis ſacrata ſine tecto.

Sacerdotes fœminæ bonæ Deæ, erant Matronæ, quæ operabantur ſacris Faunæ ſive Fatuæ, quibus nominibus Bona Dea veniebat. Ea cum tantæ fuerit pudicitiæ, ut nullus eam præter maritum, mas viderit, ab ejus ſacris omnes mares arcebantur.

Sacramentum. vid. *Militia.*

Sacratæ leges quibus ſancitũ erat, ut ſi quis adverſus eas feciſſet, ſacer alicui Deorum eſſet: Talis erat Lex Junia de Tribunis plebis: *Nequis Tribunum virgis cædito, néve lædi jubeto, ne occidito, néve occidi jubeto; qui adverſus ea fecerit, ſacer eſto, bonáq; ejus Cereri ſacra ſunto, eúmq; occidere jus fáſq; eſto.*

Sacres porci, qui puri erant ad ſacrificium jam ab ubere depulſi; quod contingebat die à partu decimo.

Sacrificium, dicitur victima, & quæcunq; in ara cremantur aut ponuntur.

Sacrificandi ritus. Victimâ ad aram adductâ Sacerdos manu aram ſtans prehendebat, & preces fundebat, initio facto à Jano & Veſtâ, per quos ad cæteros Deos aditum patere opinio erat; ne quid autem verborum præteriretur, aut præpoſterè recitaretur, de ſcripto præibat aliquis, & alius cuſtos erat, qui attenderet ſedulo; tum alius præſentes linguis favere jubebat, tibicen item canebat, ne quid infauſtum audiretur. Hinc Sacerdos fruges aut molam ſalſam cum thure maſculo in caput victimæ deponebat, qui ritus vocabatur *Immolatio.* Deinde vinum aſpergebatur, quod antea ex ſimpuvio ligneo aut fictili leviter deli-

delibabat, & aſtantibus guſtandum offerebat, ut pariter libarent, quæ erat *Libatio*. Tum Setas inter cornua victimæ manu evulſas, tanquam prima libamina projiciebat in ignem, & ad ortum converſus cultrum à fronte victimæ ad tergum ducebat, & tandem victimam Diis ita dedicatam miniſtros jugulare jubebat, qui *Cultrarii*, *Victimarii*, *Popæ* & *Agones* vcabantur ; alii admotis vaſculis cruorem excipiebant, alii victimam excoriabant & abluebant, alii ignem accendebant. Perpurgatâ victimâ *Haruſpex* ſive *Flamen* cultro ferreo viſcera rimabatur, & explorabat, an perlitatum foret ; inſpectis extis, quæ manu contrectare nefas erat, partes certas deciſas Sacerdos aræ impoſitas comburebat; cum conflagraverat, quod Diis tributum erat, ad epulas ipſi & convivia revertebantur, Diis laudes canebant, pulſatis cymbalis choreas agebant. Suæ autem ſingulis Diis victimæ erant deputatæ, Superis *albæ* & *impares*, inferis *nigræ* & *pares* mactabantur. Jovi bove candido litabatur. Neptuno, Marti, Apollini tauro, ariete, verre. Cereri lacte, vino, favis, porcâ. Cybeli porcâ, Æſculapio capris & gallinis. Laribus gallo.

Soli & Marti equo. Junoni agnâ. Veneri Columbâ. Dianæ cervâ. Pani & Minervæ caprâ, &c.

Sacrum, *Sacroſanctum*, *Sanctum* & *Religioſum* differunt, Sacrum eſt alicui Deo dicatum, non à privatis, ſed publico Civitatis inſtituto ; ita ædes, ara, lucus, ſignum, quorum ad conſecrationem Civitas conſenſit, *Sacra* dicuntur. *Sacroſanctum*, inquit Feſtus, dicitur, *quod jurejurando interpoſito eſt inſtitutum*, ſi quis id violaſſet, ut morte pœnas penderet, ut ſunt Tribuni plebis & Ædiles ejuſdem Ordinis. Sacroſancta ſunt tam inanimata, quàm animata. nam & fœdus à Cicerone ſacroſanctum dicitur, at ſacra tantùm arbitror inanimata eſſe : homo enim ſacer non dicitur, niſi quem impune licet occidere. *Sancta* propriè divina ſunt, humana verò ſacra & ſacroſancta, homines autem non verè, ſed ſimilitudine bonitatis & ſancti & divini vocantur, ita Dii ſancti, nec iidem ſacri aut ſacroſancti. *Religioſum* quinq; modis accipitur : nam id nominis convenit & loco, ubi piè colitur; & delubro & rei, quæ colitur; & ſigno & homini, qui colit ; & tempori, unde dies religioſi, quibus, niſi quod

neceſſe

neceſſe eſt, nefas habetur facere, & actioni,unde religioſum dicimus die nefaſto apud Prætorem lege agere. Sepulchra religioſa dici poſſunt,ſacra non poſſunt. Hæc & plura Manut. de Quæſitis per Epiſt.l.1.

Sagmina. vid. *Fecialis.*

Sagum,veſtimentum militare, quod armis ſuperinduebatur, unde ut Toga pro pace, ſic *Sagum* pro *bello* uſurpatur.

Salarium, antiquitùs id dicebatur, quod dabatur pro victu,in quo principem locum ſali tribuebat. Sic *Vaſarium*, Pecunia,quæ pro vaſis, i. e. pro utenſilibus attribuebatur ex ærario Magiſtratibus in Provincias proficiſcentibus. *Honorarium vinum*, quod Regibus & potentibus honoris gratiâ offertur. *Hordearium*, quod Equiti pro hordeo ad alendum equum dabatur. *Uxorium* deniq; pœna, quæ publicè exigebatur ab iis,qui uxores non haberent. Anton. Mur. l.12. Var. Lect.c.5.

Salii, Sacerdotes Martis antiquiſſimi, qui *Ancilia*, de quibus ſuo loco, cuſtodiebant, & certo tempore ſaltantes per urbem diſcurrebant, *Salii* à *ſaliendo* dicti, *Palatini*, quia in Palatio Martis ſacra celebrabant. Illis qui præerat, *Magiſter Saliorum & Præſul* dicebatur; unde Lucilius: *Præ-*

Præsul ut amptruat, inde & volgu redamptruat olli.

Carmina Saliaria erant omnium antiquissima, in quibus frequens fiebat mentio *Mamurii*, *Veturii*, qui Numæ jussu ancilia fabricaverat ad illius, quod cœlo ceciderat, similitudinem.

Saltatio, in sacris & ludis frequens, est facultas quædam, motibus ac gestibus corporis artificio quodam numero & ratione factis, imitandi hominum mores, affectus & actiones. Ejus duo erant genera, unum *Vulgare*, alterum *Theatrale*, cujus species tres numerantur 1. ἐμμέλεια gravis & composita, quæ in Tragœdia adhibebatur. 2. Κόρδαξ solutiore licentiâ in Comœdiis adhibita. 3. Σίκιννις, lasciva in Satyris adhiberi solita. Vid. *Gymnici Ludi.*

Salus, Dea, quam religiosè Romani coluerunt æde dedicatâ *Ipsa salus*, ait Comicus, *servare non potest hanc familiam.*

Salutatores. vid. *Candidatus.*

Sanates, dicti sunt, qui supra, quiq; infra Romam habitaverunt, quia cum defecissent à Romanis, brevi post redierunt in gratiam, quasi *sanæ menti restituti*; unde intelligitur jam lex illa vetus: *Sanatibus idem quod*

quod forctibus jus esto. Forctibus. i.e, Bonis, & qui nunquā á populo Romano defecerunt.

Sancus, Deus, qui & *Dius Fidius*, à Græcis *Hercules* dictus. Hinc jurandi nata formula: Medius fidius, vel, per Dium fidium, quasi dicatur: Ita me Jovis filius, qui esse putabatur Hercules, adjuvet! quanquam non desunt, qui per Fidium intelligunt *Deum Fidei.*

Saturnus, à *saturando* vel à *satu* dictus, quod stercorationem & agriculturam, cùm á filio Jove regno pulsus ad Janum confugisset, primus Aborigines docuerit. Eo Rege neminem serviisse, omnibus omnia communia fuisse & in beata rerum omnium abundantia mortales vitam exegisse ferunt. Unde Ecl. 4. *Saturnia regna* dicuntur, quæ justitiâ & felicitate florent. Conf. Hes. lib. 1. Oper. & Ovid. lib. 1. Metam. f. 3.

Saturnalia, dies 17. Decembris Saturno sanctus, quo passim clamabatur; Iò, bona Saturnalia! servi usurariam quandam libertatem habebant, & ad Dominicam mensam sedebant, ipsis Dominis præministrantibus, cum quibus & vestem commutabant. Lips. lib. 1. Saturn. Serm. cap. 2. Mittebantur etiam Patronis & amicis muneras

munera, *Saturnalitia* appellata. De Convivio Attius.

Exercent epulas læti, famulósq; procurant
Quisque suos.

Apud Græcos mensis erat *Anthesterion* à floribus dictus, & in eo Festa sua servi peragebant, in quibus ipsis ab opere feriatis accumbere licebat; feriis autem exactis ad operas solitas revocabantur hâc formulâ:

Θύραζε Κᾶρες, οὐκ ἐπ' ἀνθεστήρια.

Foras Cares, non amplius Anthesteria.

Conf. Adag. Erasmi.

Satyra, fabula, in qua Tragici Poëtæ Satyros induxerunt, ludendi causa jocandíq;, ut spectator inter res tragicas Satyrorum jocis & lusibus delectaretur. Hodie verò quodvis carmen ad carpenda hominum vitia compositum sic dicitur. Nomen habet vel à *Satyris*, *Diis* impuris & petulantibus, vel à *Satyra lance*, quæ frugum primitiis adimpleta Cereris sacris inferebatur, vel à quodam farciminis genere multis rebus referti, quam *Satyram* Varro vocitat, vel à *Lege Satura*, qua uno rogatu multa simul comprehendebat.

Satyri. vid. *Baachus.*

Scalæ, vid. *Machina.*

Scena.

Scena. Partes Theatri erant *Scena*, frons theatri, & ea pars, quæ ab uno ejus cornu ad alterum cum coöpertura ducebatur: duplex erat, *verſatilis* & *ductilis*. Ante uſum theatrorum ſub frondibus & umbraculis agebant; unde *Scenæ* nomen natum eſt.

Proſcenium, locus ante ſcenam porrectus, in quo *Pulpitum*, agentium & loquentium locus. *Scena* erat altior pulpito, pulpitum proſcenio. vid. & *Actus*.

Orcheſtra, apud Romanos locus erat, in quo Senatores conſidebant ſpectaturi, apud Græcos ſaltationes in ea peragebantur, unde illi nomen eſt. *Cunei* à figura dicebantur ſedilium Ordines.

Schola, Locus, in quo tyrocinia literarum exhibita. Auſon. in Idyll.

— *Graio Schola nomine dicta eſt,*
Juſta laboriferis tribuantur ubi otia curis.

Hinc Scholaſticus dicitur Tiro, qui primis literarum inſtitutis informatur, in jure etiam Advocati dicti Scholaſtici. Erant & *Scholæ militares*, quarum frequens apud Vegetium mentio, in quibus tyrones futuræ militiæ præparabantur. Schola etiam locus gladiatoribus exercendis dicatus.

Scorpio. vid. *Tormenta*.

Scriba

Scriba. Scribæ fuerunt Librarii, qui singulis Magistratibus eo nomine apparuerunt, ut rationes publicas in tabulas referrent, & leges actaque omnia præscriberent, unde Quæstorii, Ædilitii, Prætorii &c. fuerunt. Scribarum ordinem apud Romanos non admodum honestum & gravem fuisse constat. Iidem Scribæ interdum vocantur Actuarii, Notarii, Exceptores, qui certis usi notis velocissimè dictata excipiebant. Hæ notæ, à quibus *Notarii* Latinis dicti, alibi dicuntur *sigla* vel *siglæ* aut *singulæ* (sc. litteræ) quibus veteres ταχυγραφίας ἕνεκα utebantur: illud Græcis est διὰ σημείων scribere, & ipsis σημειογράφοι, qui nobis Notarii. Hanc incredibilem per notas scrbendi celeritatem eleganti periphrasi adumbravit Manil. l. 4. Astron.

Hic & scriptor erit felix, cui litera verbū est,
Quiq; notis linguā superet cursumq; loquentis
Excipiat longas nova per compendia voces,

Martial. l. 14. Epigr.

Currant verba licet, manus est velocior illis.
Nondum lingua, suum dextra peregit opus.

Scutum, cui nomen παρὰ τὸ σκύτος, à loro, quia è corio factum. A clypeo formâ differt: quæ enim rotunda, *Clypeos* dixêre; quæ

quæ in longum exibant, *ſcuta*; hodie tamen hæc nomina confunduntur. Latitudo ſcuti in gibbâ ſuperficie duorum pedum & ſemis, longitudo pedum quatuor; atque ita totum hominem tegebat leviter ſe inclinantem; exterior ſuperficies corio vituli aut potius bovis tegebatur: extrema curvatura ſeu margo in ſcuto ferreus erat ad ſuſtinendos ictus; media pars ſcuti, quæ protuberat & exſeritur, cum rotundo tumore, *umbo*, ut plurimum è ferro fuit, quãdoque & umbo aureus, & margo argenteus. Scutis etiam varias picturas, formas aut colores ſolebant addere, ut imaginem Delphini, Draconis &c. interdum & nomina vel Imperatorum, vel Centurionum aut etiam ſua ipſorum ſcutis inſcribebant.

Secespita, notat cultrum ferreum oblongum, manubrio eburneo rotundo, juncto ad capulum auro argentoque, fixum clavis æneis, quo Flamines, Flaminicæ virgines, & Pontifices ad ſacrificia utebantur, à *ſecando* dicta.

Sectatores. vid. *Candidatus.*

Sectores. vid. *Animadverſio.*

Seculares ludi, monitu Sibyllinorum carminum

minum in honorem Ditis ac Proſerpinæ & aliorum Deorum inſtituti, centeſimo vel centeſimo decimo anno celebrandi per triduum & trinoctium. Præco per univerſam Italiam populum convocabat,& invitabat ad ludos, quos nec ſpectaſſet quiſquam, nec ſpectaturus eſſet. *Quindecimviri* ſacris faciendis in Capitolio piamina dividebant populo, quæ erant tæda, ſulphur & bitumen. Varia Diis variis ſacrificia fiebant,& in Templo Apollinis Palatini ter noveni pueri prætextati totidemq; puellæ,patrimi omnes matrimique, Græcâ Romanâque voce carmina concinebant; quibus imperium ſuum & incolumitatem populi Diis immortalibus commendabant. Lege carmen Seculare Horatii.

Seja, *Segetia*, & *Segeſta*, Dea, ſegetis curam gerebat.

Sementinæ feriæ; pro ſemente celebratæ, cum agricolæ terræ mandârunt ſemina.

Semones, Dii minores, ſic dicti, quaſi *ſemihomones*: antiqui enim hominem dixerunt homonem. vid. *Indigetes Dii*.

Senaculum, Senatorum locus, ubi Senatus conſultandi gratiâ habebatur.

Senator. Centum viros ætate & virtute præſtan-

præſtantes elegit Romulus, quibus rerum urbanarum regimen commiſit, eóſq; ab ætate *Senatores*, à cura & autoritate *Patres* appellavit: aucto a. civium numero, ipſe & Tatius, Sabinorum Dux, ex illuſtrioribus familiis deligentes centum alios, in Patres coöptarunt & veteribus *Senatoribus* addiderunt, Tarquinius autem Priſcus, populi captans favorem, ſelectos ex omni plebeiorum numero viros centum ſpectatæ virtutis & prudentiæ, in Patriciorum primùm ordinem allectos Patrum adjecit numero, quem cum Tarquinius *Superbus* cædibus & expulſionibus imminuiſſet, Brutus & Valer. Poplicola Conſules primi ex plebe præcipuos in Patriciorum ordinem allegendo ſuppleverunt. Sulla Senatorum itidem numerum auxit, Cæſare verò Dictatore ad nongentos fuêre Senatores; poſt ejus necem etiam indigniſſimi quique per gratiam & præmium allecti, quos vulgus *Orcinos* vocavit. Legebantur Senatores à Regibus, Conſulibus, Cenſoribus diverſis temporibus, & in legendis illis habebatur ratio 1. *Generis*, ut ex familiis legerentur, quibus Senatus patebat: patuit enim primùm Patriciis, poſt etiam plebeiis.

2. *Ordinis*, ut maximè ex equeſtri Ordine, qui dignitate proximus erat, legerentur. 3. *Censûs*, ne ſplendor ampliſſimi Ordinis rei familiaris anguſtiis obſcuraretur. Erat autem Cenſus Senatorius octingenta millia Seſtertiûm, quem Cenſum qui non habebat, legi non poterat, quod ſi, poſteaquam lectus eſſet, cenſum labefactâſſet, Ordinem amittebat. 4. *Ætatis*, de qua, quæ fuerit, dubitatur; eadem fuiſſe videtur cum Quæſtoria; quæſturæ autem capiundæ annus ætatis viceſimus quintus aut ſeptimus fuiſſe videtur. Inſigne Senatorum *Tunica lati clavi*, quâ ab Equitibus, quos anguſto clavo contentos eſſe decebat, ſunt ſeparati. Quæſtus omnis in Senatore fuit indecorus. *Princeps Senatus* dictus eſt is, qui in lectione Senatus, quæ per Cenſores peracto Cenſu fiebat, primo loco recitabatur, qui honor ferè nemini, niſi Conſulari & Cenſorio tribuebatur. *Senatores Pedarii*, appellati ſunt Equites quidem, qui nondum à Cenſoribus lecti in Senatum, honoribus tamen populi uſi erant, & propterea in Senatum veniebant, & ſententiæ jus habebant: & hi in poſtremis ſcripti ſententias rogati non fuerunt, ſed in eas, quas Principes

cipes dixiſſent, diſceſſerunt: ita Gellius. Alii *Pedarios* appellatos ideo putant, quod ſententiam ſuam non verbis dixerint, ſed in alienam ſententiam pedibus iverint; alii inde, quod, cum Curulem Magiſtratum non geſſiſſent, pedibus in Curiam itaverint, neque Curuli ſellâ, ut cæteri, vecti fuerint. Prima tamen ſententia videtur optima.

Senatus. Totum Senatorum Collegium, ſive Concilium Senatus dictus eſt; cujus poteſtas ſumma erat decernendi de negotiis ad Rempubl. pertinentibus. Omnis itaque Reſpublica in poteſtate Senatus erat, præter Magiſtratuum creationem, Legumlationem, & belli pacíſve arbitrium. Senatus more Majorum haberi poterat à Dictatore, Conſulibus, Prætoribus, Tribunis pl. Interrege & Præfecto Urbis. Loca tria Romæ erant, in quibus Senatus habebatur, *Senacula* dicta; cum autem bos locutus eſſe ferebatur, uti aliquoties accidiſſe ſcribit Plinius, Senatus ſub dio haberi ſolebat. Senatus alius *Legitimus*, qui vel lege, vel more certis ſemper diebus habebatur, ut Calendis, Nonis, Idibus: Alius *Indictus*, qui reliquis menſis diebus, qui quidem

Comitiales non erant, Magiſtratuum vocatu cogebatur.

Senatus conſultum. SCta duobus modis fiebant, vel per diſceſſionem, ſi conſentiretur, vel per ſingulorum ſententias exquiſitas, ſi res dubia eſſet. In Senatus conſulto per diſceſſionem faciendo moris fuit, ut is Magiſtratus, qui de aliqua re ad Senatum referret, diceret; *Qui hoc cenſetis illuc tranſite; qui alia omnia, in hanc partem.* Cum autem ſingulorum ſententiæ exquirendæ erant, Conſules primùm deſignati, ſi adeſſent aut Principes Senatus ſententiam rogabantur. Interrogatus Senator aſſurgebat & ſtans dicebat non modo eâ de re, de qua relatum erat, ſed de quacunque vellet. Forma ſententiæ dicendæ hæc erat: *Quod verba facta ſunt de literis*, &c. *eâ de re ita cenſeo.* Quod ſi quis duas pluréſve res in ſententia dicenda complecteretur, poſtulari poterat à quovis ſedente, ut divideretur, id eſt, de ſingulis referretur. Non poterat a. fieri SCtum, niſi Senatu frequente, initio centum, poſt ducentos, tandem quingentos minimùm Senatores adeſſe oportuit; quod ſi Senator abeſſet, neque legitimâ excuſatione uteretur, mulcta ei indiceba-

cebatur quæ dum ſolveretur, pignus ab eo capiebatur, quod niſi redimeret, à Quæſtore ærarii vendebatur, pecunia in ærarium relata; id quod erat *cædere* ſive *concidere pignora*. Si autem per Senatus infrequentiam aut ob interceſſionem alicujus Tribuni plebis SCtum perſcribi non poſſet, Auctoritas perſcribebatur, quâ Senatus ſententia nota ac teſtata eſſet. Impedimenta, quo minus fieret SCtum, hæc erant. 1. Si legitimus Senatorum numerus non adeſſet: tum enim cuivis Senatori licebat dicere; *Numera Senatum*. 2. Si dies tolleretur, ſi quis ad ſolis uſq; occaſum orationem produceret: neque enim Senatuſconſultum ante exortum & poſt occaſum ſolem ratum fuit. 3. Cum quis Tribunorum pl. moram interponebat: h.e. tempus ſibi ad deliberandum poſtulabat. 4. Si quis eorundem intercederet. Olim Tribunus pl. curiam non intrabat, ſed ante valvas poſitis ſubſelliis decreta Patrum examinabat, ut, ſi quæ ex iis improbaſſet, rata eſſe non ſineret: ſolenni ſuo verbo *Veto* interpoſito. Veteribus itaq; *S*Ctis litera T. ſubſcribebatur, quâ Tribunos pl. illa quoque cenſuiſſe ſignificabatur. vid. *Jus*.

Sentina. vid. *Navis.*

September, Menſis ſic dictus, quod à primo, nempe Martio, ſeptimus eſſet. *Ber* ſyllabica adjectio eſt flexionis ergò, u in October, November. Priſcianus quidem illa eſſe putat ab *imber*, ſed doctioribus id Criticis neutiquam probatur.

Sepulchrum. Sepulchra erant fornices, ſive antra concamerata, in quorum parietibus circumcirca loculi exiſtebant, in quibus ſingulæ pluréſve urnæ cum defunctorum cineribus locatæ fuerunt, exterius clauſæ tabellis marmoreis, in quibus nomina depoſitorum de more erant adſcripta.

Servus. Servis olim variæ deſtinatæ partes in re familiari, alii aquæ hauriendæ præfecti, alii caudicali provinciæ, ædibus purgandis, ornandis lectiſterniis, & hi erant *Mediaſtini. Anagnoſta*, qui lectioni vacabat. *Atrienſis*, qui atrio præerat, ſervus in familiâ primarius. *Oſtiarii* ſervi ſeu janitores, θυρωροὶ, qui januam ſervabant & cuſtodiebant, unde paſſim ſervi fores *conſervas* vocant. Hi janitores plerumq; in catenis erant. Ovidius.

Janitor indignè durâ religate catenâ.

Manumiſſi itaque ſervi catenam Laribus con-

conſecrabant, ut Gladiatores arma Herculi, pueri togam virilem ſumpturi Penatibus bullam, Virgines nupturæ puppas (ἀγαλμάτα) Veneri. Ob hanc rem Senecæ hi ſervi *Catenarii*. Inſigne horum virga arundinea, fortè ludibrii cauſſâ, cum illa inanis ſit & fragilis. Ideo eadem in Aſſertoris noſtri pro Rege ſalutati manum tradita myſterium fuit vani fragilíſque ſceptri, ſuper quod gentes prius innitebantur, etſi ab illis carnificibus in ludibrium & contemptum fuerit tradita. Joſ. Laurent. l. 1. Polym. c. 42. *Servi Convivales* erant, qui operam conviviis præſtabant, & 1. erant *Vocatores*. 2. *Obſonatores*, qui in cibis parandis, coquendis, condiendis occupati. 3. *Scopiarii*, à verrendo ſcopis pavimentum. 4. *Lectiſterniatores* à lectis ſternendis & menſis. 5. *Atriarii*, quorum cura ſuppellex. 6. *Dapiferi*, à dapibus ferendis, præguſtandis. 7. *Poeillatores*, ſeu ad cyathos, à cyathis fundendis, miſcendis. 8. *Promiconidi*, procuratores penoris iidem *Cellarii* dicti. Plautus: *Ego ſum Promuscondus, procurator peni*. 9. *Triclíniarchæ* vel *Architriclini*, qui toti convivio præſunt ac provident. Cum his ultro

se intrudebant parasiti, Gnathones & hujusmodi farinæ scurræ, umbræ, muscæ. Ex mensæ ministris quidam dicti ad pedes servi Circumpedes, Antepedes; hinc sedere ad pedes alicujus dicebantur vilissimi. Idem. l. 1. Differt. 9.

Sextans. vid. *Pocula.*

Sibylla, fœmina Vates, sic dicta, quod Dei consilium & voluntatem mortalibus indicaret. Σιὸς enim Æolicè *Deus* est & βυλὴ consilium. Sibyllæ decem numerantur, è quibus Cumana, nomine Herophile, novem libros ad Tarquinium attulit magno pretio venales, sex combussit; quo de alibi.

Sicarius, à *sica* dictus, qui ferro aut telo cædem facit. *Sica*, cultellus ferreus recurvus instar acinacis Persici, qui sinu vestis occultari poterat, eoq; in proclivi erat nec opinantes confodere, maxime in turbâ.

Sigillaria festa, quæ indicebant in diem XX. Decembris, cum *sigillaa* arte fictili fingebantur & venalia parabantur, quæ homines pro se ac suis piaculum Diti Saturno faciebant.

Signa. In re militari signorum alia erant *Vocalia*, quæ humanâ voce pronunciabantur, sicut in vigiliis. Alia *Semivocalia*, quæ per cornua, tubam aut buccinam daban-

tur. *Tuba*, quæ directa eſt, appellatur. *Buccina*, quæ in ſemetipſam æreo circulo flectitur. *Cornu*, quod ex uris agreſtibus argento nexum, arte & ſpiritu temperatum, canentis flatũ emittit auditum. His ſignis exercitus cognoſcebat, an ſtare, progredi, regredi oporteret. Alia *Muta*, ut aquilæ, dracones, vexilla, quæ quocunque ferri jubebat ductor, neceſſe erat ſignum ſuum comitantes milites pergerent. Marius aliis ſignis abolitis Aquilam propriè Legionibus Romanis dicavit. Erat autem *Aquila* aureum aquilæ ſimulacrum haſtæ præpilatæ ſuffixum, quod à milite ferebatur, qui inde *Aquilifer* dictus eſt.

Silatum. vid. *Jentaculum.*

Silentium, In auſpiciis dicebatur, quod omni vitio careret, neq; fauſti quid, neque adverſi portendens.

Silenus. vid. *Bacchus.*

Silicernium. Gr. σιλικέρνιον, convivium funebre, quod funere deducto ſenibus exhiberi ſolebat, ab eo diſcedentes alii aliis dicebant, *Vale*, veluti ſe amplius non viſuri. Terentius etiam ſenem vocat *Silicernium*, & Feſtus putat eſſe farciminis genus, quo familia in luctu à fletu purgata ſit.

Sim-

Simpulum sive *Simpuvium*, vas parvum fictile, cyatho simile, quo vinum in sacrificiis libabatur, unde mulieres rebus divinis deditæ *Simpulatrices* dictæ. Juvenalis Sat. 6. vers. 343. pristini seculi mores collaudans.

Et quis tunc hominum contemptor Numinis, & quis
Simpuvium ridere Numæ, nigrúmq; catinũ
Ausus erat?

Siticines, olim appellati tibicines, qui apud sitos, i.e. vitâ functos & sepultos canerent.

Soccus vid. *Tragœdia.*

Sodales. vid. *Collegia.*

Sol. Solem Ethnica superstitio ab Apolline quandoq; disjungit, quandoq; cum eodem conjungit. *Sol* dictus videtur, quod interdiu cæteris stellis quasi disparentibus *solus appareat.* Amplissimum templum Soli Heliogabalo, quo nomine Syri Solem appellarunt, Antoninus, cognomine item Heliogabalus, extruxit.

Solitaurilia. vid. *Lustratio.*

Solium vid. *Thermæ.*

Sonticus morbus, qui ita gravis est, ut solitas functiones impediat, & rerum necessitate in judicio comparandi solvat.

Spes, Dea, ædem Romæ habuit.

Spha-

Sphæriſterium, vid. *Thermæ.*

Spolia opima erant, quæ Dux hoſtium Duci à ſe occiſo, quod rarò accidit, detraxerat; Ea Romulus de Acrone, Coſſus Cornelius de Tolumnio & M. Marcellus de Viridomaro Jovi Feretrio ſuſpendit.

Spoliarium, locus in balneis exterior, ubi exuebantur ſeq; veſte exſpoliabant: græcè σπολιωτήριον. Ita & in ludis *Spoliarium* locus, ubi gladiatores veſtes & ornamenta ponebant; idem locus receptor vulneratorum cæſorúmq;, quin & eorum, qui ſine ſpe curationis læſi illic interficiebantur.

Sponſalia. vid. *Nuptiæ.*

Sponſio, Sponſionis faciendæ ratio fuit hujuſmodi. Petitor eum, unde petebatur, ſi intentionem aut rationem intentionis ſuæ inficiaretur, ſponſione Sacramenti provocabat, v.g. *quando negas, hunc ſervum meum eſſe, Sacramento te quinquagenario provoco, Spondéſne quingentos, ſi meus ſit?* id e. ſi meum eſſe probavero. Cui reus: *Spondeo ſi tuus ſit:* nam ſi ſponſionem recuſaſſet, litem amiſiſſet. Inde reſtipulans rogabat: *Ei tu Spondéſne quingentos, ni tuus ſit, id eſt, ſi tuum non eſſe probavero?* cui Petitor, *Spondeo ni meus ſit, &c.*

Sta-

Stadium, locus curſoribus deſtinatus.

Stationes. vid. *Excubiæ.*

Stipulatio, eſt conceptio verborum, quibus is, qui interrogatur daturum facturúmve ſe id, quod interrogatus eſt, promittit. Stipulari nihil aliud eſt, quam ſolenni verborum conceptione poſtulare ſibi aliquid promitti ſolenni formulâ promittendi. Active & paſſive ſignificat, dicimus enim: Stipulor abs te, i. e. rogo te & rogor à te. *Stipulator* & *promiſſor* opponuntur.

Stola, quâ Græci quodlibet veſtis genus ſignificant, Matronæ Romanæ utebantur, non aliter atque viri tunica. Hinc mulier ſtolata pro locuplete & primaria; togata verò pro plebeia & minoris dignitatis fœminâ uſurpatur. Apud Martialem pudor ſtolatus dicitur, qui honeſtiores matronas maximè decet.

Stragulum vel *Stragula*, à *ſternendo* dicebatur, quicquid ſubſternebatur. Imprimis opertorium lectorum, ubi & dormiebant & diſcumbebant.

Strena, munera, quæ amici amicis Calendis Januarii unà cum votis offerebant, ſtrenæ vocabantur.

Strenua, vid. *Murcia.*

Stri-

Strigilis, inſtrumentum ex auro, argento, ferro aut pumice, quo priſci in balneis plurimùm uſi ſunt ad fricandum purgandumque corpus.

Stylus ſive *Graphium*, erat inſtrumentum ferreum non abſimile noſtro calamo, anteriùs acutum, retrò verò quaſi planitiem habens, quo olim in ceratis tabulis ſcribere ſoliti, alterius extremitatis obtuſitate delebant, quicquid corrigere libebat, hinc *ſtylum convertere* dicitur, qui ſcripta delet, mutat, corrigit. Horat. *Sat.* 10. l. 1. *Serm.*

Sæpe ſtylum vertas, iterum quæ digna legi ſint,
Scripturus.

Addit Lambinus: *ſtylum vertere eſt ſcriptum mutare, inductâ priore ſcripturâ:* natum hoc loquendi genus à veterum conſuetudine, qui ſtylo inverſo i.e. ſuperiore ſtyli parte, quæ erat obtuſior, id quod acumine ſeu acie ſtyli exaratum erat in tabulis ceratis, delebant, & ceram rurſus complanabant. Romani non gladio aut pugione accincti ingrediebantur, niſi qui militari juramento erant obſtricti & quibus poteſtas erat geſtandi gladium, quod inde gladiatorium jus nominabatur, ſed graphia cum pugillaribus circumferebant.

Subſcriptor. Ex multis accuſatoribus, qui primas egit partes, *Accuſator* eſt dictus, qui ſecundas aut tertias, *Subſcriptor*.

Subſellia. vid. *Tribunal*. Subſelliorum duo genera fuere, unum in quibus ii, qui cauſas agebant, ſive defenderent, ſive accuſarent; alterum, in quibus ipſi Judices conſidebant. De Varrone Cicero: *Verſatus in utriſq; ſubſelliis optimâ & fide & famâ, niſi ſi vetſatum Varronem dicit in publicis privatiſq; cauſis, cum in utriſq; fidem & ingenium oſtenderet*. Accuſatorum ſubſellia nota ſunt. Quod ad Judicum ſubſellia attinet, ſcire oportet præfuiſſe judicio vel eos, qui Curulem Magiſtratum gererent, ut Prætorem Ædilem. Curulem, vel qui non Curulem, ut Tribunum pl. Ædilem pl. Quæſtorem. Curulis Magiſtratus in Curuli ſella ſedebat, reliqui Judices cum eo cauſam cognoſcentes in ſubſelliis; qui verò Magiſtratum non Curulem gerentes judicabant, ii vel ſedentes in ſubſelliis, vel ſtantes judicabant. Tribunal etiam Ædiles Curules non habebant, Prætores habebant. Hæc & plura Manut. de Quæſit. per Epiſt.

Subſidia. vid. *Acies*.

Subucula, veſtis virorum interior, quæ proximè cutem attingebat.

Subura,

Subura, alii ſcribunt *Suburra* vicus Romæ nobilis & populoſus, unde Juven. Sat. 10. Hannibalis εἰκασίαν expreſſurus, eundem ita loquentem introducit:

Actum, inquit, nihil eſt, niſi Pæno milite portas
Frangamus, & mediâ vexillum pono ſuburâ.

In eodem vico tonſorum tabernæ & meretricum diverſoria; hîc etiam venales rure merces exponebantur poma, ficus, olivæ aliáque edulia. Martial. l. 7. Epigr.

Quicquid villicus Umber aut colonus,
Aut Thuſci tibi Thuſculique mittunt,
Id tota tibi naſcitur Suburra.

Saburra verò eſt ſabulum craſſius, quo naves onerantur, vulgò **Ballaſt**, unde Plauto *mulier Saburrata* eſt cibo potúq; expleta.

Suffragator. vid. *Candidatus.*

Suovetaurilia. vid. *Ambarvalis hoſtia.*

Supparum, linteum femorale uſq; ad talos pendens, vel genus togæ levis & anguſtæ. Aliàs & *ſuppara* dicuntur ſumma vela.

Supplicatio. Re feliciter geſtâ Duci abſenti nomen Imperatoris & *Supplicatio*, præſenti *Ovatio* vel *Triumphus* decernebatur. *Supplicatio* honos erat, cum Senatus Tem-

Templa Deûm aperiri, ſacra fieri & Imperatoris nomine Diis gratias agi jubebat. Supplicatio initio in unum diem, poſtea in plures decreta fuit, eamq; plerumque Triumphus ſequebatur. Hanc ut & Imperatoris nomen *literis laureatis* de re geſta à Senatu Dux poſtulabat.

Supplicantium ritus. Rei ſupplicantes barbam & capillum promittebant, hinc barba Reorum dicitur prolixa à Martiale. Senec. ep. 78. demiſſa uſque in pectus vetere barbâ rogabat mortem. Abſoluti verò tondebant capillum, barbam radebant, & exuti veſtes lugubres Jovi Capitolino gratias acturi in Capitolium aſcendebant. Rei etiam ſupplices manus Prætorum vel Judicum ad ſuum os applicabant oſculantes. Apud Scythas maximum ſupplicandi genus erat, ſi quis extento humi corio bubulo, rejectis in tergum manibus reſideret. Apud Judæos ſupplex manum ſubjiciebat femori ejus, cui ſupplicabat. Apud Græcos oleaginas virgas ore manuque præferebant ſupplices, iidem apud Homerum & mentum & dexteram & genua contingunt. Macedones tunicâ, quam ſubuculam dicimus, ſolâ indutî

ſup-

ſupplicâſſe dicuntur. Apud Aſſyrios ſupplicans incurvatis membris, humum pæne vultu contingebat, manibus poſt tergum rejectis connexíſque. Hæc ex Fontani Bellariis Atticis Joſ. Laurent. l. 2. Polym. Diſſert. 47.

Sylvanus, Sylvarum, agrorum pecorúmque Deus.

Sympoſiarcha, qui& Rex *Modimperator* & *Magiſter convivii* dicebatur, talis miſſis ſorte conſtituebatur, vid. Horat. lib. 1. od. 4. aut corollæ impoſitione; leges ille convivales præfigebat, & bibendi modum præſcribebat.

T.

Tabernæ, ædificia qualiacunque popularis uſus, Kramerladen, Werckſtadte.

Tabulæ. Tabularum nomine omne genus Scripturarum appellabant, quo cauſſamſuã confirmare poſſent. Moris etiam fuit unumquemq; domeſticam rationem totius vitæ ſuæ per dies ſingulos ſcribere, unde appareret, quid lucri damníve feciſſent.

Tabulæ accepti & expenſi, in quas acceptam & expenſam pecuniam referebant. vid. & *Urna*.

Tabularium ſive *Tablinum*, Græcis *Gram-*

matophylacion & Chartophylacion in foro, ubi Actorum forenſium Commentarii, velut in armario aſſervabantur.

Tages. vid. *Haruſpex.*

Talaria, alata calceamenta Mercurii, Vir. lib. 4. Æn. pedibus talaria nectit aurea.

Tarpeius, mons Romæ, qui & *Capitolinus,* à virgine Veſtali *Tarpeiâ* ſic dictus, quæ Sabinis Urbe proditâ ab iiſdem necata, & hîc ſepulta eſt.

Tela, quorum uſus in oppugnando & repugnando fuit, duplicia: *Lapides* & *Ligna*; illos mittebant manu aut fundâ.

Funda, ſic dicta, quod ex eâ *fundantur lapides.* Materies ejus triplex: Prima ſpartum; cujus copia in Hiſpania, ejus nomine linum & cannabin comprehendimus. Altera pili vel ſetæ. Tertia nervi. Forma talis: funiculus in medio latior ovali formâ paulatim in ſtrictius abit; at medium & fundus, ut ſic dicam, fundæ circinat: rotabant enim circum caput ter, ut videtur, ex arte & more, & vires ita dabant. Fundis miſſi lapides aut glandes, aut ſphærulæ plumbeæ.

Jacula vel *Rudia,* quæ ex ſimplici ligno conſtabant, non aliâ materie ad lædendum

dum, qualia fudes & faces. *Sudes*, eſt lignũ in capite acutum leviter & igni duratum. *Faces*, non aduſtæ, ſed urentes quædam haſtulæ è piceâ tædâ: Vel *Ferrata*, quæ multigenera. *Haſta*, quæ dicitur tam de grandi illâ, quâ cominus utuntur, quàm de leviore, quam eminus jaculantur.

Lancea, haſta oblonga, quâ & equites & pedites utebantur, videtur nomen jaculis commune.

Verutum, cui nomen à *veru*, quod refert, itaque alii *veruinam* dixerunt, ſpiculum tenue & longum aptum forare.

Pilum, & inſtrumentum eſt, quo aliquid in mortario teritur, & proprium miſſile legionarii militis. Pili longitudo in ligno ferè tres cubiti, totidem in ferro, quod habebat hamatum, ne ſemel impactum facile eſſet evulſu; huic telo tanta vis erat, ut obvia quæq; perfringeret & arte directum ſcutatos pedites, & loricatos equites ſæpè diverberaret; erant autem pila tela Romanorum, ut *Geſa*, vel ut alii ſcribunt, *gæſa* Gallorum, *Sariſſæ* Macedonum.

Tragula, dicta, quod ſcuto infixa trahatur, Validum fuit telum hamatum.

Securis, quoq; miſſilis fuit, etſi cominus eâ

pugnârunt interdum. Ferrum craſſum utrinq; acutum, quam ſecurim Franci in hoſtem jacientes & ſcutum perfringebant, & ipſos ſimul milites interimebant.

Aclis, exiguum & teres quoddam miſſile religatum lino vel loro, ut peractis vulneribus poſſet redire.

Amentum, ligamen aut lorum, quo media haſta religatur, ut longiùs jaci poſſit.

Sagitta, teli genus, quod arcu emittitur: Romani eâ diu non uſi. Scythæ inventores cenſentur; tantâ ſagittæ violentiâ emittebantur, ut arma perfringerent, & per omne, quod obſtaret, durum aut molle, penetrarent; quibus neque thorax ullus, neque ſcutum poſſet reſiſtere. Sagittarum thecæ *pharetræ*.

Tempeſtas. Cum gravi tempeſtate liberatus eſſet M. Marcellus, *Tempeſtati* ædem conſtruxit & dicavit.

Templum 1. ipſum cœlum. 2. locus in aëre vel in terra, quem Augures captandorum auguriorum cauſſâ lituo ſuo deſignabant. 3. ædificium Deo ſacratum. Templi pars *cella ſanctior*, nos *Chorum* vocamus, & ea ſolis ſacris rebus deſtinabatur; *Baſilica* verò, *Porticus* & *Pronaon* ferè uſibus profanis exponebantur. vid. *Augurium*.

Ten-

Tentorium. vid. *Caſtrametatio.*

Tergiductor. vid. *Centurio.*

Terminus, Deus, cujus tutela agrorum fines erant.

Terminalia, die 22. Feb. in honorem *Termini* celebrata. Termino liba Cerealia & fugum primitiæ offerebantur.

Teſſera. vid. *Aciei adjuncta.*

Teſtamentum. Teſtamentorum apud Romanos tria fuerunt genera, unum, quod calatis Comitiis, alterum, quod in procinctu factum, tertium, quod *per æs & libram* appellatum eſt. *Teſtamentum calatis Comitiis* pacis tempore fiebat bis in anno, hoc modo: Præco univerſam Civitatem circumibat, populum convocans, ac tum, qui Teſtamentum condere volebat, in concione populi, ipſo teſte populo, Teſtamentum ſcribebat. *In procinctu facta Teſtamenta,* interprete Feſto, dicebantur, quæ milites pugnaturi, vel, ut planiùs Plutarchus, præſentibus Commilitonibus nuncupabant: in caſtris enim diſcinctus nemo ſine notâ verſabatur, imò grande ſcelus & morte piandum militaris diſciplinæ ſeveri Cenſores credebant, ſi quis militum ambulâſſet aut vallum ſubiiſſet diſcinctus. In

poſtremo Paterfamilias ei, quem Succeſſorem vellet relinquere, familiam ſuam & univerſum jus Patrisfamilias mancipio vendebat, & ſimul hæredem nuncupabat. Ea mancipatio familiæ erat, imaginaria venditio,& fiebat hoc modo: Quinq; aderant teſtes & Libripens, cives Romani & puberes; his præſentibus Succeſſor defunctus futurus patrimonium morituri emebat & imaginarii pretii nomine Domino nummum æneum dabat ære percutiens libram, quàm Libripens in Mancipationibus tenebat.

Teſtis. Teſtes fuerunt liberi homines,qui teſtimonium extra tormenta dixerunt. Multa autem in Teſte conſiderabantur: ſi enim ſuſpicione careret teſtimonium, vel propter Perſonam,quòd honeſta,vel propter cauſam, quòd neq; lucri, neq; gratiæ, neq; inimicitiæ cauſâ eſſet,teſtis admittebatur. Formula interrogandi teſtis fuit: *Quæro de te arbitrerìſne?* Ipſe verò teſtis juratus reſpondebat: *Arbitror.* Jurati teſtes produci ſolent non ſolùm, ne falſa dicant, verùm etiam,ne,quæ vera ſint,taceant. *Teſtes alligati* appellabantur,quos quiſq; ante judicium ſibi alligaverat,ne poſtea eſſet liberum diſſimulare,aut ſe ſubtrahere,

Teſtudo. vid. *Machinæ.*

Thalaſſio. vid. *Nuptiæ.*

Theatrum, à Græco verbo θεάομαι, *ſpectare*, locus, in quo Deorum immortalium diebus feſtis ludos Romani ſpectabant, ſedentes cum conjugibus & liberis. In Theatro ludi Scénici peragebantur. Theatrum Scauri tantâ fuit amplitudine, ut ejus caveæ caperet octoginta hominum millia.

Thermæ, quæ primum Imperatoribus ſervierunt, poſt etiam vulgo, magnifica erant palatia in provinciarum modum extructa, ut ait Ammianus. Thermæ cum primis Antonianæ & Diocletianæ, illæ in uſum lavantium 1600. ſellas è marmore factas habebant, hæ 3200. Eò ſpectant *Cellæ*, loca, in qtibus lavabantur aut ungebantur. *Piſcinæ*, in quibus piſcium more natabant, adjunctæ erant *porticus* & *Xyſti* loca tecta umbræ & deambulationis gratia ædificata, nemora item & ſphæriſteria. *Sphæriſterium*, erat locus balnei ſpecie rotundâ, omnibus exercitationum generibus, & cumprimis pilæ ludo deſtinatus. Campanæ ſonitu ad Thermas populus ſtatis horis advocari & dimitti ſolitus eſt.

Thiaſus, pro cantu vel pro cœtu tripu-

niantium in honorem Numinis,& nominatim Bacchi. Virgil. Ecl. 5.

Instituit Daphnis thiasos inducere Baccho.

Thuribulum vas,quo thura adolentur.

Thyrsus,hasta aculeata hederis involuta. Eâ usus est Bacchus cum insanis suis Sacerdotibus, ob id *Thyrsiger* dictus; hinc proverbium natum: *Multi Thyrsigeri, pauci Bacchi*; vel, ut Græcus habet:

πολλοὶ μὲν ναρθηκοφόροι, παῦροι δὲ βάκχοι.

Vid. Adag. Erasmi.

Tibicen. Tibicines canentes tibiis,sacris populi Romani intererant; aliàs *tibicines* dicuntur pilæ, quibus ædificia alioqui ruitura sustinentur, quomodo & particulæ, quibus versuum hiatus replentur,à Grammaticis appellantur.

Tibia. vid· *Tragœdia.*

Tintinabulum,nomen factum à *sono*,quem edit vas æneum, nos *campanam* seu *nolam* dicimus, à Campania, ejusq; urbe quâdam Nolâ. Usus varius tintinabuli, præcipuè in funere, tonante cœlo, in tumultu, in thermis, ut in thermas statis horis advocarentur, dimitterentur, lavaturi, loti; in damnatorum suppliciis,ne scilicet incauti occurrerent, & funestarentur, vel pollue-

ren-

rentur contactu ſeu occurſu, hinc &carnifices dicti *tintinnabuli viri*; etiam in foribus ædium, ubi in ejus locum ſucceſſit marculus æneus foribus pulſandis idoneus. Joſ. Laur. l. 1. Polym. Diſſ. 25.

Tiro. Tirones erant adoleſcentes validi, bellicoſi, terum militarium adhuc imperiti, qui ergaſtulis ſive angariis incluſi à Campidoctoribus ſive Armimagiſtris variè exercebantur. Hi rerum militarium probè gnari à Magiſtris ſuis digni judicati, in militum Romanorum numerum referebantur, & ſiniſtro brachio ignitô ferrô inurebantur hæ literæ: M. R. Miles Romanus, id quod erat Sacramentum militare. De Scholis Romanorum militaribus plura digniſſima ſcitu ſcire ſi velis, conſule Joh. Jacobi **von Wallhauſen Romaniſche Kriegs-Kunſt.**

Toga, propria Romanorum veſtis à *tegendo* corpore appellata, pacis inſigne, ut ſagum belli amictus exterior fuit Toga lanea erat ad talos uſq; demiſſa à ſūmo ad imum integra nullâ ſciſſurâ, nullis manicis, ſed brachia ſi emittenda forent, rejectâ in tergum imâ togâ, expedita fuerunt. Per annum tamen ſumptâ virili togâ modeſtiæ

deſtiæ cauſâ togam in humerum rejicere non conſueverunt. Fœminæ honeſtiores togâ non utebantur, niſi ancillæ & meretriculæ, unde *Togatæ* matronis à Poëtis opponuntur. Manut. de Quæſitis per Epiſt. l. 1. hac de re ita: *Fœminæ ex honeſta familiâ Stolatæ; ſin obſcuri loci, Togatæ, neque hæ ſolùm, ſed ancillæ & impudicæ omnes.* Stolatum Ulyſſem Caligula Liviam Auguſtam vocabat, tanquam mulierem callidam ac verſutam. Martial l. II. Epigr. 39.

Coccina famoſæ donas & janthida mœchæ,
Vis dare, quæ meruit munera, mitte Togam.

Quanquam autem civibus olim neceſſaria erat toga, mutatâ tamen Republ. & labente imperio, apud paucos & non niſi honeſtiores remanſit, vulgus eâ ſpretâ abiit ad penulas, lacernas aut tunicas.

Toga prætexta à prætexendo, quia ei purpura prætexta erat, ſive purpuram in ora habebat; unde Græcis ea περιπόρφυρος. Hanc pueri ingenui geſtabant uſque ad annum decimum ſeptimum, ut ex purpuræ rubore ingenui pudoris admonerentur. Eâdem Magiſtratus Urbani & Sacerdotes & Senatores in diebus feſtis utebantur. *Prætexta-*

ti

ti dicti ſunt,qui in ætate eſſent prætextatâ, id eſt, puerili & in Magiſtratu. *Prætextata verba* dicebantur fœda dicta & obſcœna â fabulis Prætextis, ut vult Turnebus, quarum argumenta erant fœdiſſima & turpiſſima. Suet. in Veſpaſ. *Erat dicacitatis plurimæ & ſic ſcurrilis & ſordidæ, ut ne prætextatis quidem verbis abſtineret.* Puerilis Nobilitatis inſignia erant Prætexta, bulla aurea,inaures;at viri pipulo differebantur, &convitiis affecti exſibilabantur aures perforatas habentes. Plautus in Pœn.Act.5.Sc. 2.*Incedũt cum annulatis auribus* h.e.perforatis cum ānulis.Vid. Joſ.Laur.l.2.Pol.Diſſ.3.

Toga candida,eorum, qui honores petebant; Petitorum inſigne,qui & inde *Candidati*. Candidum plus eſt,quàm album: albus color nativus eſt,candidus ab arte,unde Polybius hanc togam λαμπρὰν dixit, aliam λευκὴν.

Toga pura,quæ & virilis, libera, recta, ὁλόλευκος, ἀπόρφυρος, communis toga hominum privatorum nullâ admiſtâ purpurâ.

Toga pulla,atri coloris,quam in luctu induebant, unde *Atrati* dicebantur, ſed cum uſus togæ exoleviſſet,pullæ fuerunt plebejæ veſtes omnes,&Candidati dicti ſunt non

ſolùm

ſolùm Petitores, ſed honeſtiores cives omnes; pullati plebs infima, ob quod paupertas à Poëta *pullata* dicitur.

Toga ſordida, obſoleta & longo uſu detrita vulgi veſtisDitiores niveâ ſemper togâ veſtiti erant, quæ ſi ſordes traxiſſet, Romæ erant fullones, qui eas maculas ac ſordes eluebant, & addito ſulphure & cretâ eam iterum candefaciebant.

Toga picta purpurea, auro diſtincta à triumphantibus geri ſolita. Variæ figuræ in ea ita fictæ erant, ut ad picturæ ſimilitudinem accederet.

Toga purpurea, differebat à *picta*, quia pura erat; à *prætexta*, quia hæc erat alba cum limbo purpureo, purpurea limbum non habebat. Quæri hic poſſet, forenſéne tantum, an etiam domeſticum toga veſtimentum fuerit? Huic quæſtioni ſatisfacit Nonius his verbis: *Toga, ſicut in conſuetudine habetur, veſtimentum eſt, quo in foro amicimur.* Quæ verò domeſtica veſtis? *Lacerna*, ut opinor, quod tamen planè non affirmo. Sueton. in Auguſto. Negotium Ædilibus dedit, ne quem paterentur in foro circove, niſi poſitis lacernis, togatum conſiſtere. Hæc Manut. de Quæſit. per Epiſt.

Toga laxa, ne & illud taciti prætermittamus, ad talos demissa tunica probro erat, ut argumentum libidinosi & mollis animi. Cicero: *Quos capillo pexo nitidos videtis, manicatis ac talaribus tunicis, velis amictos, non togis.* Plautus in Pœnulo. *Sanè genus hoc mulierosum est demissitiis tunicis.*

Tormenta bellica. 1. *Aries*, trabs prægrandis, quæ navis malum adsimilat, solidatur in capite gravi ferro in arietis formam, qui dependet medius funibus suspēsus ex aliâ trabe, vel etiam catenis velut trutina ; repulsus itaque magnâ virorum manu retrorsum, iisdémque antrorsum statim & cum impetu reflectentibus, quatit muros prominulo ferro, neque est ulla turris tam valida, quæ, ut primas maximè plagas tulerit assiduas eas sustinere possit.

2. *Catapulta*, machina, quæ tela & ligna jaciebat, quanquam alii pro instrumento saxi jaculo ponunt. Majores & minores erant Catapultæ; hæ tela trium spithamarũ jaciebant, illæ ferè trium cubitorum, imò & tigna & asseres duodecim pedum ad spatium stadii jaciebant : nihil ergò mirum, si plures homines simul penetrârint.

3. *Bal-*

3. *Balliſta*, quæ lapides jaciebat, minor lapidem centum, major trecentorum pondo, ideoque non ſolùm contundebat, ſed diffringebat etiam omnia & disjiciebat. Ad hæc tormenta maximè requirebantur nervi, & ſi copia eorum non eſſet, capilli Funda v. in balliſtâ vel ſcorpione receptaculum lapidis fuit, & in quâ firmaretur.

4. *Scorpiones*, ſunt onagri, balliſtis vicini, niſi quod minores.

Trabea. Trabearum tria genera: unum è ſolâ purpurâ veſtimentum Diis conſecratum: alterum è purpurâ non ſine albo, quo Reges uſi fuerunt: tertium Augurale è purpurâ & cocco.

Tragœdia, nomen habet, vel à τράγος hircus, & ᾠδὴ cantus, quòd actores Tragici hircum ferrent præmium; vel ἀπὸ τῆς τρυγὸς: quod agitarent has fabulas peruncti fecibus ora; vel à τραχὺς, quod aſperas & difficiles res complecteretur. Eſt a. Imitatio per actiones illuſtris fortunæ exitu infelici, oratione gravi metricâ. Duplex erat, Græca & Latina, quæ & Prætextata fuit.

Comœdia nomen habet vel ἀπὸ τῆς κώμης, à pago, quia olim circum vicos ire ſoliti agitabant, vel ἀπὸ τῦ κώμε, à commeſſatione, vel

vel Deo commeſſationis & laſciviæ. Eſt autem poëma dramaticum exitu lætum, ſtylo populari. Partes ejus legitimæ ſunt: *Protaſis*, in qua narratur ſumma rei ſine declaratione exitûs. *Epitaſis*, in qua turbæ exitantur, aut intenduntur. *Catastaſis* eſt vigor ac ſtatus fabulæ. *Cataſtrophe* converſio negotii exagitati in tranquilitatem non expectatam. Cujuslibet harum partium portiones majores dicuntur *Actus*, minores *Scenæ*. Pars acceſſoria *Prologus* eſt, qui vel argumentum narrat, vel Poëtam commendat, aut ab injuriis defendit. Comœdia multiplex erat: *Palliata* ſive Græca, in quâ Perſonæ inducebantur palliis veſtitæ. *Togata*, quæ à Latinis inventa togatas inducebat Perſonas: & hæc erat vel *Prætextata*, in quâ Senatorum aut Patriciorum perſonæ repræſentabantur, quorum inſigne erat toga prætexta; vel *Tabernaria*, quam viles perſonæ agunt, quales in tabernis ganeiſque verſari ſolent; vel *Atellana*, à civitate Campaniæ ſic dicta, quæ argumentis & dictis jocularibus referta. Turbulentas etiam Comædias *Motorias* dixerunt, ſedatiores *Statarias*. Tragœdia et Comœdia differunt 1. *Materiâ*. 2. *Perſonis*. 3. *Doctrinâ*. 4. *Exitu*.

Exitu 5. Notâ quâdam propriâ, quòd Comici *ſoceo* utebantur, Tragici *cothurno*. *Soccus*, erat calceamentum humile, populo commune à Thracibus acceptum. *Cothurnus*, calceamentum quadrangulum, quod utrivis pedi accommodari poteſt. Unde & ſoccus quandoque pro *humili*, cothurnus pro *gravi dicendi genere* uſurpatur. Vid. Jul, Cæſ. Scalig. lib. 1. Art. Poët.

Tibiæ, in ludis adhibitæ ita dictæ ſunt, quòd antiquitùs ex *tibiis gruum* fierent. Tibiarum variæ fuêre differentiæ, quæ à doctis variè exponuntur. Pares & impares dicuntur juxta nonnullos ab æquidiſtantibus aut inæqualibus foraminibus vel intervallis, juxta alios pares tibiæ dictæ ſunt, cum duæ ejuſdem magnitudinis & toni modularentur eumque cantum *Synodium* appellabant: Impares, cum unica tantùm caneret & cantus *Monodium* dicebatur. *Dextræ* edebant ſonum gravem & gravibus rebus erant aptæ: *Siniſtræ* acutiorem, ac proinde rebus ludicris conveniebant. *Sarranæ* eædem ſunt, quæ ſiniſtræ. Contrà alii dicunt ſiniſtras ſonum gravem edidiſſe, dextras acutum.

Triarius. vid. *Miles*.

Tri-

Tribunal, Locus, in quo jus dictum eſt, fuit duplex : Superior & Planus. *Superior* fuit Tribunal in Comitio ſuggeſtus editior, unde Magiſtratus ab omnibus conſpici poterat. In eo *Sella curulis* Juridictionis inſigne, locata erat, ubi ſedens Prætor cognoſcebat & pronunciabat. *Subſellia* autem ſedilia erant, in quibus ii Judices conſidebant, qui Magiſtratum Curulem non gerebant, & cauſas cognoſcebant, ut Tribuni plebis, & Quæſtores, &c. Illi etiam, qui cauſas agebant, ſive accuſarent, ſive defenderent, in ſubſelliis ſedebant. *Planus* dicitur quicunque locus præter Tribunal, ubi Magiſtratus poſitâ ſellâ Curuli juris dicendi gratiâ conſiſtit, íſque locus dicebatur Jus.

Tribunus. Tribuni Militum, qui unius cohortis peditibus præerant. Duplices erant. *Rufuli*, à quodam Rutilio Rufo ſic dicti, ab Imperatore in exercitu lecti, & *Comitiati*, à populo in Comitiis creati. His reſpondebant in equeſtri exercitu Præfecti Equitum.

Tribuni militum Conſulari poteſtate, in Conſulum locum creati ſunt anno Urbis 309. primùm tres, mox quatuor, tandem ſex, ex Patribus & plebe. Inſignia eorum mea-

dem, quæ Consulum fuerunt. Stetit hic Magistratus annos septem & septuaginta.

Tribuni plebis decem. Nimia fœneratorum in egenos & obæratos crudelitas causa fuit creandorum Tribunorum pl. Cùm enim plebs eam ob causam in montem sacrum secessisset, ante revocari non potuit, quàm debita levarentur, nexi solverentur, & potestas ipsi fieret constituendi Tribunos, qui oppressis adversus Magistratus subsidio venirent, & hic *Magistratus* erat *sacrosanctus*, quem vi aut verbis violare capitale esset; unde Cicero Tribunum *Præsidem custodemq; libertatis* vocat. Domus Tribuni noctu & interdiu, tanquam portus & perfugium iis, quibus opitulandum esset, semper patuit. Intercessio Tribuni peragi solita uno & solenni verbo *Veto*, cujus intercessionis tanta vis, ut privati Magistratúsque omnes parerent. Hi Tribuni tantâ potentiâ armati, vel naturâ inquieti, vel Patribus iniqui graves sæpe turbas concitârunt. Tribunorum auctoritas graviſſimis legibus, quas *Tribunitias* vocârunt, confirmata est. Una harum ita habebat: *Plebs quos pro se, contra vim, auxilii ergo creâſſit, Tribuni ejus sunto, quod ii prohibêſſint,*

bêſſint, quodque plebem rogâſſint; ratum eſto, cum populo patribúſque agendi jus habento, iidémque ad plebem, quod cenſuerint, ferunto, ſanctíque ſunto, neque plebem Tribunis orbam relinquunto. Altera verò his verbis concepta: *Tribunum invitum nemo, ut unum è vulgo, quicquam facere cogito, nec verberato, nec alium verberare jubeto, nec occidito, nec occidere jubeto; ſi quis contra faxit, ſacer eſto bonaque ejus Cereri dicata ſunto, qui eum occiderit, cædis purus eſto.* Th. Dempſt. ad l. 8. Ant. Roſ.

Tribunus Celerum. vid. *Præfectus.*

Tributa Comitia. vid. *Comitia.*

Triclinium. vid. *Accumbendi ritus.*

Triens. vid. *Pocula.*

Trinundinum vid. *Comitia Centuriata.*

Tripudium ſoliſtimum, in auſpiciis dicebatur, quoties offâ pullis datâ aliquid in ſolum cadebat & terram paviebat, i. e. feriebat, quaſi terripavium.

Triumphus, (in Numiſmatis ſcriptum legitur *Triumpus*, interdum & *Triumfus*) ſummum præmium, quo Imperatoris, qui rem feliciter geſſerit, juſtóq; prælio hoſtes ceciderat, Virtus & fortuna ornari ſo-

lebat. Θρίαμβος Bacchi cognomen est, unde *Triumphi* nomen est: primus enim Bacchus triumphâsse dicitur, vel quod is, qui triumphans Urbem ingrederetur, tripartito judicio honoraretur: nam primùm de Triumpho Duci concedendo exercitum judicare solitum erat, secundo Senatum, tertiò populum. Lege a. cautum erat, ne quis triumpharet, qui non Dictator, Consul aut Prætor res gessisset, aut etiam quinque hostium millia unâ acie non cecidisset. Lex alia lata, quâ pœna Ducibus indicta, qui aut hostium cæsorum numerum auxissent, aut civium celâssent. De servis & civibus non triumphabatur. Triumphi honos à Senatu suffragante populo decernebatur, & à Tribuno pl. Imperatori infenso facilè impediri poterat. Pompa hæc erat: Imperator habitu triumphali ornatus, armillis sumptis, laureâ redimitus & ramum laureum dextrâ tenens populum convocabat, & militibus collaudatis pecuniam & ornamenta dividebat, armillas, hastas, coronas. His peractis currum conscendebat, ita precatus: *Dii, nutu & imperio quorum nata & aucta est res Romana, eandem placati propitiatique servate.* Tum per por-

portam triumphalem vehebatur, præcedebant tibicines; acclamabat populus: *Iò triumphe! triumphe!* poſt tibicines boves mactandi, vittis ſertíſq; redimiti, interdum auratis cornibus; his ſuccedebat oſtentatio ſpoliorum, quæ partim plauſtris vehebantur, partim ab adoleſcentibus geſtabantur: nonnulli titulos victorum gentium & urbium præferebant, imagines addebantur, quandoque animalia rariora aut plantæ ex locis captis allatæ. Succedebant hoſtium duces catenis vincti; tum demum Imperator curru ſublimi magnificè exornato vehebatur, fulgens veſte triumphali; coronâ laureâ redimitus, & lauri ramum manu geſtans, nec ſoli Impp: victores coronis erant ornati, ſed & milites, equi, currus, & hic rotundus erat ad inſtar turris, exebore. Ovid. 3. de Ponto Eleg. 4.

Illa Ducis facies in curru ſtantis eburno.

Faſtigium bracteis aureis decorabatur. Horat. Od. 9. Ep.

Io triumphe! tu moraris aureos
Currus & intactas boves.

Ut etiam victoriæ notas aliquas ſpectaret populus, ſanguine reſpergebatur. Virgil. l. XI. Æn.

Ducunt & rutilo perfusos sanguine currus.
Currum trahebant quatuor equi albi, vel, ut Claudianus loquitur, electi candoris equi. Ovid. l. 1. de Arte amand.

Quatuor in niveis aureus ibis equis.
Ereptâ libertate mutati sunt mores, & pro equis leones juncti. Primus hos jugo subdidit M. Antonius. Pompeius M. primus currui junxit elephantos, quem deinde secutus, est C. Cæsar. Heliogabalus, modò tigribus, modò leonibus, modò canibus triumphans usus est. Aurelianus Augustus ad hostium timiditatem exprimendam cervis vectabatur. Inter barbaros Reges Sesostris, Ægypti Rex, devictos à se bello Reges currui, cui insidebat, subjungebat. Thom. Dempst. ad lib. 10. c. 29. Ant. Rosin. Triumphalis vestis erat purpura auro intexto picta, quâ extra triumphum uti non licebat. Suggerebatur à tergo: *Respice post te, hominem memento te*; appensum etiam currui fuit tintinnabulum & flagellum, quibus significabatur, ipsum in eam calamitatem incidere posse, ut & flagris cæderetur & capite damnaretur: nam capite damnati tintinnabula gestare solebant. Currum sequebatur equitum peditúmque exercitus laureatus, triumphalia carmina acci-

nens. Pompâ pracedente, in Deorum honorem omnes ædes fuerunt apertæ; in foro hoſtes triumphator abduci jubebat, vel in carcerem, vel ad ultimum ſupplicium. In Capitolium cum ventum eſt, immolatæ ſunt hoſtiæ, & nonnulla monumenta Jovi dicata, cui & aurea corona, quandoque & opima ſpolia ſuſpenſa ſunt. Triumphorum ut memoria cenſervaretur, honeſtiſſimus locus viris triumphalibus in publicis conſeſſibus fuit datus, & in ſpectaculis lauream coronam geſtabant. Statuæ etiam erectæ, arcus triumphales, trophæa. Triumphi honorem à Senatu oblatum qui repudiabat, exilio mulctabatur.

Triumphales ludi, qui poſt inſignes victorias celebrabantur.

Triumviri Reipublicæ conſtituendæ cauſâ inſtituti, Magiſtratus ut contra leges fuit introductus, ita minimè fuit diuturnus: Cum enim Cæſar in curia viginti tribus vulneribus confoſſus eſſet, Octavianus cum M. Antonio & M. Lepido fœdus iniit, ut ipſi tres rebus adminiſtrandis præficerentur in quinquennium, & tum quilibet inimicos ſibi proſcribebat, & comprehenſos interimebat, in quibus Cicero ab Antonio pro-

ſcriptus, à Popilio ingrato milite occiſus eſt; paulo ante poſt ortis diſſidiis Auguſtus Lepidô excluſô & Antoniô victô ſolus rerum potitus eſt, neque ultra annos decem Triumviratus iſte in Republ. Romanâ duravit.

Triumviri, Tresviri ſive *Treviri Capitales*, qui carceris cuſtodiam habebant, quorum interventu in damnatos animadverti oportebat; de abjectis etiam hominibus, ut furibus & ſervis nequam judicabant.

Trumviri nocturni, noctu excubias agentes arcendis incendiis præerant.

Triumviri valetudinis, quales noſtro tempore peſtis cauſâ creari ſolent.

Triumviri monetales, qui cudendæ monetæ præfuerunt, iidem dicti Triumviri A.A. Æ. F. F. quod eſt, Auro, Argento, Ære, Flando, Feriundo.

Trojani ludi (vel *Trojæ ludicrum*) ab Aſcanio Æneæ filio, in Italiam delati celebrabantur in Circo à pueris majoribus & minoribus turmatim congredientibus. Qui præſidebat his pueris, *Princeps Juventutis* dicebatur.

Trophæum. Trophæa erant corpora truncа cum ſpoliis. Propriè trophæum eſt monumentum

numentum eo in loco erectum, ubi hoſtes in fugam verſi erant. Prima trophæa ex arboribus confecta, quas ramis amputatis hoſtium ſpoliis decorabant. Deinde ex lapide fieri cæpta ſunt. Tropheum quandoq; etiam pro ipſâ victoriâ capitur. De Trophæo Servius ita in X. Æneid. Virgil. Tropæum dictum eſt ἀπὸ τῆ τρέπειθαι, id eſt, ab hoſtium converſione, quod, qui hoſtem fugâſſet, mereretur tropheum, qui autem occidiſſet, triumphum ἀπὸ τῆ θριαμβεύειν, ab exultatione. Ita Mezentio tyranno occiſo Æneas in loco eminentiore Trophæum erigit. Virgil. l. XI. Æn. v. 5.

Ingentem quercum conciſis undique ramis
Conſtituit tumulo, fulgẽtiaq; induit arma,
Mezenti Ducis exuvias, tibi magne Tro-
phæum
Bellipotens.

Tuba. vid. *Acies.*

Tubicen, qui tubâ canebat.

Tullianum. vid. *Pœna.*

Tunica, togæ ſuppoſita, quæ togam proximè attigit, primùm ſine manicis, deinde manicata. *Talares Tunicæ* ad talos uſque demiſſæ viris probro datæ ſunt. *Tunica clavata*, quæ clavos purpureos intextos, vel potius

tius insutos habuit. Clavus duplex, latus & angustus, *Latus clavus* vel *tunica lati clavi*, amplissimi ordinis & Senatorum insigne. *Angustus clavus* Equitum Romanorum insigne. Muliebris etiam vestis erat Tunica. Tunicâ clavatâ utebantur Senatores & Equites, Rectâ Plebs. Munica ta seu Manuleata Tunica, græcè χειριδωτὸς χιτὼν erat, quâ non tantum corpus & brachia, sed & manus tegebant adversus vim frigoris. Manicatas tunicas fuisse probro, patet ex Gellio. l. 7. cap. 12. dicens: *Tunicis uti Virum prolixis ultra brachia & usque in primores manus ac propè in digitos, Romæ atq; omni in Latio indecorum fuit, fœminis tantùm permissum, unde P. Africanus Sulpitio Gallo, homini delicato, inter cætera, quæ objectabat, id quoque probro dedit quod tunicis uteretur totas manus operientibus.* Hactenus ille. Apud Athenienses tunica utrinque manicata puerorum erat, unam verò manicam habens, Servorum.

Turma, quasi terma, quod ter deni equites ex tribus tribubus Tatiensium, Rhamnium, Lucerum legerentur. Hæ dividebantur in decurias, quarum singuli decem equites continebant.

Tur-

Turris mobilis. vid. *Machinæ.*

Tutanus & *Tutilina*, Dii ruſtici, qui rebus tuendis præerant.

Tutulum vid. *Flamen.*

V.

Vocatio. vid. *Miſſio.*

Vacuna, quæ vocantibus & otioſis præerat.

Vallum. vid. *caſtrorum partes.*

Vallus. vid. *Machinæ.*

Vas, Sponſor eſt, qui pro altero vadimonium promittit: Actor enim agendi poteſtate à Prætore acceptâ vadabatur reum, i. e. vades ſive ſponſores petebat fore, ut certo die, is plerumque perendinus erat, ſe in jure ſiſteret. Qui provocabat, *vadari*, qui provocabatur, *vadimonium promittere* dicebatur. *Vadimonium conſtituere* eſt diem dicere, quo quis in judicio comparere debeat, *deſerere vadimonium* eſt non comparere ad diem præſtitam. *Differre vadimonium* eſt differre diem contentionis. Quod ſi reus vadimonium deſeruiſſet, perdebat litem, & Prætor, Actore poſtulante, bona ejus poſſideri jubebat, & vendi, ſi triginta dies poſſeſſa fuiſſent, neq; ille ſe defendiſſet. Si verò uterq; comparuiſſet, tunc ſe ſtitiſſe dicebantur,

dicebantur, ac tum prior reus ita agebat: *Ubi tu es, qui me vadatus es? ubi tu es, qui me citâsti? ecce ego me tibi sisto, contrà & te mihi siste.* Præcedente autem Actore rogabat, *quid ais?* Respondebat Actor: *Ajo fundum, quem possides, meum esse* &c. Erat autem tertius plerumque dies à vocatione in jus cognitionibus dicatus & *Comperendinus* appellabatur.

Vaticanus Deus, qui infantum vagitibus præerat, penes quem erant humanæ vocis initia.

Vaticanus mons, trans Tiberim à *vaticiniis* sic dictus, & cæteris urbis montibus successu temporis adjectus. hodie celeberrima totius orbis Bibliotheca Vaticana clarus.

Vectigal Vectigalia olim alia ex arationibus pendebantur, quæ *Decimæ*, alia ex pascuis, quæ *Scripturæ*, alia è portubus, quæ *Portoria* dicta, hinc Decumani, Scripturarii & Portorii. Nomine autem Portorii intelligitur τέλος ἐν λιμένι, *i. e.* vectigal in portu. Item τέλος ἐν πύλαις, vectigal in porta, demum τέλος ἐν γεφύρᾳ, vectigal in ponte vel nuper instructo, vel recens instaurato. Primum dictum *Portorium*, alterum *Portarium*, tertium, ut ita dicam, *Pontorium*;

rium, quod posteriore ævo solutum tempore Neronis reperio. Jos. Laurent. l. 2. Polym. Dissert. 9.

Vectis. vid. *Machinæ.*

Vejovis. vid. *Jupiter.*

Veneficus & *venefica*, qui vel quæ venena conficit, aut incantationibus aliisque malis artibus utitur.

Venus, formæ, amoris, voluptatis Dea, ita dicta, quod ad omnes res *veniat*, vel quod per eam omnia *proveniant*. Plurimis eà cognominibus venit, *Murtia* vel *Myrtia* Venus à myrto, quæ Veneri sacra, ut quercus Jovi, laurus Phœbo, vitis Baccho, populus Herculi. *Libitina* Venus, in cujus templo vendebantur ea, quæ ad funus pertinebant, unde & *Libitinarii* dicti, qui funera curabant. Græcis Νεκροδάπται, à quibus diversi νεκροφόροι, vespillones & sandapilarii, qui mortuos efferunt. Horatius:

Autumnusq; gravis Libitinæ quæstus acerbæ.

Etiam pro morte. Idem od. 30. l. 3. Carm.

Non omnis moriar, multaque pars mei
Vitabit Libitinam.

Calva, ab eventu: cum enim Romani in Capitolio obsessi ex mulierum capillis tormen-

menta feciſſent, ædem *Veneri Calvæ* conſecrârunt. *Erycina* ab Eryce, Siciliæ monte. *Verticordia*, quæ colebatur, ut animos laſcivos ad caſtitatem verteret. *Straba*, quia limi oculi propriè amatorum ſunt. A Venere, quæ Græcis Ἀφροδίτη dicitur, ἀφροδίσιος lat. invenuſtus eſt homo, omnibus ingratus, qui nihil quicquam gratiæ ullis officiis promereri poteſt. Ita & ἀκύδνους vocant, quod Venere caret, quod omnis venuſtatis expers eſt: Græcis enim eadem Venus Κυδώνεια Cic. l. 7. ad Famil. cap. 32. Nihil ἀνύδνορον, quod non alicui venuſtum videatur. Præterea Venus, jactus in alea feliciſſimus dicebatur. Horat. Od. 7. l. 2. Carm.

— *Quem Venus arbitrum*
Dicet bibendi.

Contrà Canicula jactus infauſtus, ob quod Perſio eſt *damnoſa Canicula*.

Vertumnus ſive *Vortumnus*, ſic dictus, quod in varias formas ſe transfiguraret, rebus contrahendis & permutandis, aut etiam cogitationibus humanis præerat. *Vertumnis natus iniquis* Horatio dicitur homo inconſtans & mobili ingenio.

Verutum, telum breve & acutum; ſinguli milites veruta duo gerebant. *Veſpa*

Vespæ. vid. *Funus.*

Vesperna vid. *Cœna.*

Vesta, duplex erat, una Saturni mater, quæ & Rhea, Ops, Tellus dicta; altera Virgo, quæ puellas sempiternum sacrorum ignem servare docuit. Vestæ nomen vel est à *visitando*, vel à Græcis petitum, quibus eadem ἑστία dicitur.

Vestales virgines, Vestæ sacra curabant, ignis æterni ac sacri custodes; puras eas à nuptiis manere oportebat per annos triginta; impudicæ extra muros in campo scelerato vivæ defodiebantur in cella subterranea, appositio pane, aquâ, lacte, oleo cum lucernâ ardente, &c. Pontifex maximus Virginem Vestalem capiebat intra sextum & decimum annum, patrimam & matrimam. *Capi* dicebatur, quod manu prehensa ab eo Parente, in cujus potestate erat, quasi bello capta abduceretur.

Vestalia, die IX. Junii celebrabantur, quibus Virgines Vestales Vestæ sacrificabant; tum & asini floribus coronati per Urbem circumducebantur, molæ etiam sertis & floribus ornabantur.

Viator. Viatores, qui ex agris in curiam Senatores accersebant: nam initio Proceres

Urbis

Urbis in agro plurimùm erant. In Magiſtratu autem alii habebant *Vocationem*, ut Conſules, his Lictores erant; alii *Prehenſionem*, ut Tribuni pl. aliique, qui habebant Viatorem; alii neque Vocationem neque Prehenſionem, quibus neque Lictor erat, neque Viator.

Vicepota, qualis Dea fuerit, incertum,

Victimarii, miniſtri Sacerdotum, qui victimas ligabant & cultrum, aquam & molam parabant, & reliqua, quæ ſacris erant neceſſaria.

Victoria, religioſè à Romanis culta. Simulacrum ejus virgo erat alata, volans, coronam offerens. Romæ victoriæ ſimulacrum de cœlo tactum fuit, ejuſque ſolæ alæ deciderunt, illud prodigium fauſtum eſſe interpretatus eſt Pōpejus, quod inde avolare Victoria nunquā poſſet. Lex. Martin.

Vicus, pars regionis, ita dictus, quod vias circùm haberet. Majores urbis partes *Regiones* dicebantur, minores *Vici*. *Vicus Sceleratus*. Romæ dictus, ubi Tullia, Servii Regis filia, Tarquinii Superbi uxor, ut maritum Regem ſalutaret, ſupra cruentum occiſi Patris corpus carpento vecta conſternatos equos egit Flor. l. 1. c. 7.

Vigiliæ. In his tria conſideranda. 1.

Ipſæ Vigiliæ. 3. Circuitio. *Teſſera* hoc modo data & accepta. In quoq; genere equitum & peditum ex decimo ſigno, quod ultimum erat, unus vir eligitur, qui *teſſerarius* ab ipſa re dictus. Is quotidie Sole jam inclinante ad Tribuni Tentorium venit & ſignum petit; illud Tribuni ab Imperatore accipiebant in milites per Centuriones transfundendum. Erat autem ſignum, aut teſſera militaris tabella latius cula è ligno inſcripta ipſo nocturno ſigno aut dicto, quod eſſe vellet Imperator, & hæc teſſera dabatur adhibitis teſtibus, ne quis negaret eſſe datam. Cæſaris quandoque teſſera fuit Felicitas aut Victoria: Pompeii M Herculeſ invictus: Severi Septimii, Laboremus: Pertinacis, Militemus. Caſſius Chærea Tribunus C. Caligulam Imper. occiſurus conjuratis hanc teſſeram dedit: *Repete*; atque ita tyrannus crebris confectus eſt vulneribus. *Vigiliæ* per manipulos erant diſpoſitæ. Vigiles quaterni ſe dividebant in quatuor partes, ita ut ſinguli vigiliam unam noctis obirent, ſcilicet per ternas quiſque horas. Vigiliæ noctis quaternæ erant: & ſingulæ in horas ternas diviſæ: unus itaque ſuæ vigiliæ perſtabat intentus ac verè vigil:

alii adjacebant aut accubabant. *Circuitio* positas vigilias firmabat, alioquin in noxam ruituras. Ea commissa equitibus de more & Tribunis, ipsi etiam interdum Imperatori; postea *Circuitores* græcè περίπολοι: quos vulgò dicimus *Ronda*, proprium aliquod munus fuit. Si quod vigilûm delictum esset, statim Circuitor ostendebat adhibitis testibus è proximis; qui convictus, fuste percutiebatur. Ad excitandum duo adhibita, nempe buccina & voces, quæ erant *Vigila, Vigila.*

Viminalis mons, Romæ sic dictus, quod ibi viminum sylva fuerit, ut & Fagutalis appellatus à sylva *fagea*. Hodie maxima ejus pars inculta jacet.

Vincula. vid. *Pœnæ*.

Vindicatio & *in jure cessio* hæc erat: Si quis servum aut aliam rem corpoream sibi vendicare vellet: apud Prætorem ita agebat: Vindicator tenens servum in jure ita dicebat: *Hunc hominem ex jure Quiritium meum esse aio*. Prætor interrogabat eum, unde petebatur, an contra vindicaret, i.e. an contra servum illum suum esse assereret. Eo tacente aut cedente Prætor servum addicebat vindicanti. Qui autem vindicaverat

rat, lege egiſſe; qui ceſſerat, in jure ceſſiſſe dicebatur. Prætoris erat *Addictio*. Sin a. ille contrà vindicaret, tum & ipſe ſervum corripiens, & quaſi de manu vindicantis abſtrahens dicebat: *Et ego hunc hominem meum eſſe aio, ejúſq; vindicias mihi conſervari poſtulo.* Tum Prætor interdicebat: *Qui nec vi, nec clam, nec precariò poſſidet, ei vindicias do.*

Vindiciæ. Ea vox propriè notat poſſeſſionem rei, ut ædium, fundi. De ſervi vindicatione jam dictum eſt. In fundo aut domo manus conſertio facta eſt in hunc modum: Petitor in jure eum, unde petebatur, ex jure manu conſertum vocabat, dicens: *Fundus, qui eſt in agro, qui Sabinus vocatur, meus eſt, eum ego ex jure Quiritium meum eſſe aio, inde tibi ego te ex jure manu conſertum voco.* Ille verò niſi ceſſiſſet: reſpondebat: *Unde tu me ex jure manu conſertum vocâſti, inde ibi ego te revoco.* Tum Prætor utriſq; dicebat: *Iſtam viam dico, Inite viam* (Præſtò aderat ſapiens, qui viam inire doceret.) *Redite viam.* Eodem duce redibant; in agro verò ſive domo manum conſerebant, id eſt, terræ aliquid ex agro aut unam glebam & de domo feſtucam ſume-

bant, ita manum conſerebant; atque ad Prætorem deferebant; & in ea gleba vel feſtuca, tanquam in toto agro, vel in tota domo, vindicabant. Ea gleba vel feſtuca dicebatur *Vindicia*. His itaque in jus allatis vindiciis actor, qui dejectus erat, eas tenens dicebat: *Hunc fundum, ſive hanc domum meam eſſe aio ex jure Quiritium, eóq; reſtitui, unde dejectus ſum, poſtulo.* Tum Prætor: *Unde tu illum dejeciſti, cum nec vi nec clam nec precariò poſſideret, eò illum reſtituas jubeo. Manum conſerere* dicebantur litigantes, cum in agrum aut aliam rem, de qua erat controverſia, profecti, rem litigioſam aut aliquam ejus particulam manu apprehendebant, juſque ſuum in re præſenti vindicabant.

Vindicta. vid. *Manumiſſio.* Virga hæc, quâ percutiebantur ſervi, dum liberi fiebant, *Vindicta* dicta videtur à *vindicando*, quod eſſet inſtrumentum Vindicis, ſeu Prætoris manumittentis, quanquam T. Livius Dec. 1. l. 2. nonnullis, ait, videri Vindictæ nomen tractum à *Vindicio Servo*, qui primus Vindictâ dicitur liberatus, eò quod Adoleſcentium quorundam nobilium conjurationem cum Tarquiniis adverſus Patriam detexiſſet.

Vinea.

Vinea. vid. *Macbinæ.*

Viriplaca, Dea, quæ viros placaret. In hujus ſacellum vir & uxor, inter quos aliquid jurgii interceſſerat, veniebant, & animorum contentionem deponebant.

Virtus. Virtutem à *viro* dici auctor eſt Cicero; hanc religioſè Romani coluerunt, & Templum illi dedicârunt, cui ita conjunctum erat Templum Honoris, ut *per Virtutis Templum ingreſſus eſſet in ædem Honoris*; quo oſtendebatur, ad verum honorem aditum non patere, niſi per Virtutem.

Vis, erat injuria, quæ inferebatur alicui in Urbe aut agro, ſive armatis hominibus, ſive inermibus. Eo crimine damnato aquâ & igni interdicebatur. Vis duplex: *Vera*, de qua jam dictum eſt: *Simulata*, cum dicis cauſâ alter alteri in jure manum conſerendo vim afferebat & verbis vindicabat, ſive viddicias poſtulabat. vid. *Vindicia.*

Viſceratio. vid. *Funus.*

Vitta. Vittæ capitis ornamenta muliebria, quibus mulieres capillos colligebant. Ovid. 1. Metam.

Vitta coërcebat poſitos ſine lege capillos.

Eædem dicebantur *Tæniæ.* Præterea *Vittæ* erant in multiplici uſu: erant enim Vitta-

ti Sacerdotes, Poëtæ, ad ultimum ſupplicium ducendi, Templum ipſæq; aræ Deorum victimæ, naves è portu exituræ, faces nuptiales. Tandem & matronarum geſtamen Vittæ, quibus illæ à meretricibus diſcretæ, ut & virginum nondum nuptarum. Valer. Flacc. l. 8. Argonaut.

Ultima virgineis tum flens dedit oſcula vittis.

Vitula, Dea, quæ lætitiæ laſciviæq; præerat,

Vocatio in Jus. vid. *Jus.*

Vocator. Qui invitabant Convivas, peculiari nomine *Vocatores* dicebantur. Martial. l. 7. Epigr. 85.

Jam, dices mihi, vapulet Vocator.

Volſgræ aves. vid. *Augurium.*

Volupia, à *voluptate* dicta Dea, quæ voluptatem hominibus afferret: Hanc effingebant in throno inſtar Reginæ ſedentem, ſed pallidiori aſpectu, quæ Virtutes ſub pedibus habere videretur.

Votivi ludi, qui à Magiſtratibus ad bellum ituris vovebantur, rebus feliciter geſtis exhibendi

Urna. Urnæ ciſtæ erant in judicio poſitæ, in quas tabellæ, quibus Judices ſententiam ferebant, mittebantur. Poſitæ autem erant tot

tot Urnæ, quot Judicum Ordines, tres quidem, cum omnes adhibiti ſunt, una *Senatorum*, altera *Equitum*, tertia *Tribunorum ærariorum*. Tabellæ itidem tres erant, una *Abſolutionis*, cujus nota litera A. abſolvo. Altera *Condemnationis*, cujus nota C. condemno. Tertia *Ampliationis*, cujus notæ N. L. non liquet. *Ampliatio* erat, cum Judices ſignificabant rem ſibi non liquere, ſecundam actionem, inſtituendam eſſe. Formula abſolutionis: *Non videtur feciſſe*, aut *Jure videtur feciſſe*. Condemnationis: *Videtur feciſſe, non jure videtur feciſſe*. Ampliationis: *Amplius cognoſcendum* vid. & *Funus* & *Sepulchrum*.

Vulcanus, Jovis filius, ignis & fabrorum Deus, Deorum faber, qui Jovi fulmina fabricâſſe dicitur, Heroibus arma. Ob deformitatem cœlo ejectus in Lemnum inſulam decidiſſe fertur, eâque ruinâ claudus factus. Ejus operæ Cyclopes, officina Ætna mons Siciliæ ignivomus. Idem *Mulciber* dictus eſt à *mulcendo*, quod ferrum mulceat ſive molliat.

Formulæ aliquot Romanæ.

Abi Muſca. Hâc formulâ abigi ſolet qui moleſtiam nobis, ut muſcæ æſtivo tempore conſueverunt, faceſſunt. Quilibet n. importunus muſca dictus, unde proverbium: *muſcâ importunior.* Antiphanes Poëta etiam eos, qui invocati, ut ſæpe fit, ad convivia accedunt, aptiſſimè Muſcis comparat. Aliàs & Jupiter ἀπόμυιος dictus, cui ſacra facta ad abigendas muſcas. Joſ. Laur. l. 2. Polym. Diſſ. 28. Conf. inſcriptionem Horti Lipſiani.

Ab ovo uſq; ad mala, i.e. à prin[illegible]o ad finē. Nam ovum in prima menſa adp[illegible]ſitum, mala in poſtrema. Conf. Hor. l. 1. Ser. Sat. 3.

Accede Lictor, Sumomve populum. His verbis Magiſtratus mandata lictori dabat, ut ingredienti obſtantem turbam ſummoveret, & via cedere juberet.

Accelera Signifer, ſequere miles. Voces erant militares.

Accipio omen. Omina ſunt ipſæ hominum voces, quas Veteres diligenter obſervâſſe conſtat, quod ſi bonum aliquod omen offerretur, adjiciebant: *Accipio omen.* Ita cum L. Paullo conſuli cum Rege Perſa

ſâ bellum obtigiſſet, ſub veſperam ille domum reverſus, filiolam amplexus, quæſivit, quid triſtes, mea Tertia? Mi Pater, inquit, Perſa periit. Tum arctiùs eam amplexus: Accipio, inquit, omen, mea filia.

Actum eſt-Ita in ſummâ deſperatione dicere ſolebant, vel quia facta infecta fieri nequeunt, vel quia in Jure cautum eſt, lite ſemel terminatâ, de eadem re actio iterum ne detur: unde & *actum agere* dicuntur, qui fruſtrà operam ſumunt.

Ad arma, ad arma, ad ſigna, Hoſtes in Urbe ſunt. Impendente periculo ita conclamabatur, & milites, ut arma caperent, monebantur.

Addixit avis. Trita in auſpiciis verba, quibus Augur lætos avem ſucceſſus prædixiſſe ſignificabat.

Ad metalla damnatus, ad ludum, ad gladium, ad beſtias. Ad metalla damnatus, aut ad opus, qui in metalli fodinis opus facere coactus eſt; ad ludum, qui in ludo gladiatorio, de quo ſupra dictum eſt, dimcare juſſus eſt; ad gladium damnatus confeſtim conſumebatur, vel certè intra annum; ad beſtias, qui leonibus aut urſis objiciebatur dilaniandus. Ita Tertullianus in publicis

licis calamitatibus ſæpe populum Romanum exclamaſſe refert: *Chriſtianos ad Leonem! Chriſtianos ad beſtias!*

Ad veſtitum redire. Duplex erat veſtium mutatio, una in luctu, altera in bello vel tumultu: in illa ſolus color togæ mutabatur; in hac togæ ſagis mutabantur; per illam *Atrata*, per hanc *Sagata* civitas erat. Depulſis periculis & tumultu ſedatô Senatores ad veſtitum redire jubebantur.

Agón? Miniſter victimam cæſurus, antequam feriret, hâc voce eum, cujus mandatum expectabatur, compellabat. Ovid. l. 1. Faſt.

Qui calido ſtrictos tincturus ſanguine cultros
Semper agatne rogat, nec, niſi juſſus agit.

Hinc proverbio *Agones* dicti cunctatores, qui ſemper deliberant, neque quicquam aggrediuntur.

Alala. Ante pugnam milites vociferabantur, *Alala*, quod erat quaſi præludium & incitamentum ad manus conſerendas. Plut. de Glor. Athen. Audi Alala, belli ſoror, haſtarum hoc exordium.

Alio die. Cum Augur de cœlo ſervabat & aliquid comperiebat, quod ſuſceptum negotium dirimeret, duobus his verbis id denunciabat.

Alias res agis. Hâc loquendi formulâ utebantur Latini, cum rei ſupervacaneæ operam dari aut oſcitanter & animo parùm attento auſcultari ſignificabant.

An parati ad bellum i. e. an in procinctu eſſent. Ita Præco aſſiſtens Imperatori ter rogabat milites, qui toties alta atque alacri voce reſpodebant, ſe paratos eſſe.

Aquam, Aquam! In incendiis vox frequens.

Arma abjicere, tradere, hi jubebantur, qui ſe dedebant.

Arma ſubmittere. Gladiator læſus mortis evitandæ ergo populo ſupplicabat & arma ſubmittebat. Seneca: *Gladiatoribus licet arma ſubmittere, & miſericordiam populi tentare; tu neque ſubmittes arma nec, vitam rogabis, recto tibi invictoque moriendum eſt.* Lipſ. l. 2. Saturn. c. 21.

Auctor, & *Princeps ſententiæ,* is dicebatur, qui primus id cenſuerat, quod cæteri erant ſecuti.

Avi ſiniſtra, i. e. liquido auſpicio. Siniſtra enim auſpicia fauſta dicebantur. Cic. de Leg. *Iſq; avi ſiniſtra dictus Magiſter populi eſto* i. e. ſecundo auſpicio. Conf. Plaut. Epid. Act. 2. Sc. 2. Horat. Od. 16. Epod. alite ſecundâ. Contrà mala vel *adverſa avi* i. e. infauſto fidere Horat. l. 1. Od. 15. mala ducis avi domum: & Od. 10. Ep. *Ma-*

Malâ ſoluta navis exit alite.
Græcis ὄρνις αἰσία, avis ſecunda, ἀπαίσιος, aduerſa.

B.

BEllum juſtum piumque. Arma pia & juſta dicebantur, cùm Princeps Fecialium ſive Paterpatratus ſolenni conſuetoq; ritu, quo de ſuprà, bellum hoſti indixerat, quæ indictio vocabatur *Clarigatio*. *Paterpatratus* erat Fecialium Antiſtes, eorumque maximus, cui Pater & cui liberi erant.

Benè! In menſa, inter ſcyphos & pocula, ubi libare Diis dapes & benè precari moris erat, frequenter audiebatur illud: *Benè!* Ita apud Plautum: *Bene vos, bene nos, bene te, bene me, bene noſtram etiam Stephanium, bibe, ſi bibis.*

Bene ſit! bene tibi ſit! bene ambulato! bene valeto! His dicebant, quibus fauſta omnia precabantur. In ſternutationibus Græci adhibebant hanc formulam: Ζεῦ σῶζον, Jupiter ſerva.

Bene merenti fecit. His verbis nomen ejus, qui monumentum aliquod faciendum curaverat, inſcriptioni ſepulchrali addebatur.

Bono animo eſtote, terram video. Verbum nautæ aut remigis, ad trepidos & naufragii metuentes vectores.

Be-

Bonum factum. In ſolennibus Edictorum verbis hæc erant, unde Tertul. ô Edictum, cui adſcribi debet *Bonum factum!*

Bonum ſit! Si quod omen aut prodigium offerretur, his verbis optabant, ut boni aliquid portenderet.

C.

C*Alidam picem bibito.* Mos execrantibus ferventem picem potandam precari. Taubm. in Act. 1. Sc. 2. Mercat.

Cape vel *Accipe libens.* Ita dicebant, cum dona alicui Numini offerebant. Poëta:

Accipe, quæ Pietas ponit tibi dona merenti.

Capital eſto. Frequens in legibus formula. Cic. 2. de Leg. *Quique non paruerit, capital eſto.* Ita in jure: *Si quis adverſum ea fecerit, capital eſto.* Feſtus Capital facinus eſſe ait, quod capitis pœnâ luitur. Nonius verò capitis periculum intelligit. Et verior Feſti interpretatio. Vid. Ludov. Carrionis Emend. l. 1. c. 3.

Cave, Cave Canem. Non longè ab oſtiarii cellâ canem ingentem catenâ vinctum in pariete pictum fuiſſe ſuperq; quadratâ literâ ſcriptum conſtat: *Cave, cave canem.* Ex edicto enim Ædilium canem mordacem habere, qui nocere poſſet, non licebat. Qui etiam onus aliquod humeris geſta-

bant,

bant, itidem tranſeuntes monebant hac voce: *Cave.*

Cave, Cave lupum. Ut canem, ita & lupum ad parietes olim appictum fuiſſe legimus cum hâc epigraphe: *Cave, Cave lupum.*

Civis Romanus ſum, Formula erat, quâ opem implorabant injuriis affecti. Civem enim Romanum indemnatum virgis cædere aut necare nemini licebat. vid. Act. 22. Cic. VII. Ver. *Facinus eſt vincire civem Romanum, ſcelus verberare, propè parricidium, necare, quid dicam in crucem tollere!* Idem alibi in Verrem: *Cervices in carcere frangebantur indigniſſimè civium Romanorum.* Conſ. Matth. Martin. in voce *Qvirito.*

Commilitones. Qui cum populo agebant in urbanis concionibus, eos *Quirites* vocabant, qui in caſtris exercitum alloquebantur, hoc verbo, *milites*, affabantur; qui v. auram popularem captabant, iisque blandiri cupiebant, *Commilitones* appellabant.

Conclamatum eſt i. e. facta tranſacta omnia. Ter. Act. 2. Sc. 3. Evn. Moris enim erat cadavera ſeptem diebus domi aſſervare, calida abluere, & per intervalla conclamare, & poſt ultimam conclamationem, qſ. rebus deſperatis comburere, inde re tranſactâ & finitâ dicitur *conclamatum eſt.*

Con-

Conſcende, quod benè vertat, Græcè ξύμβαινε ἀγαθῇ τύχῃ. Formula precationis ante navis ingreſſum uſurpata à nautis, invitantibus vectores, aut ſcandentes excipientibus. Joſ. Laurent l. 1. Polym. Diſſ. 17.

Conſiſte miles. Fugientes in prælio milites ita conſiſtere jubebant.

Conſul refer vel *Conſul conſule* His verbis Senatores à Conſulibus flagitabant, ut referrent, qui tum hâc formulâ ordiebantur: *Referimus ad vos, Patres conſcripti* &c.

Cuculus. Viatores vinitoribus & vindemiatoribus de via conviciabantur, eoſque ut nimis tardos in vitibus putandis colendiſque agris, contumeliæ cauſſa *Cuculos* appellabant. Horat. Sat. l. 1.

— *Cui ſæpe viator*
Ceſſiſſet, magnâ compellans voce Cuculum.

Dedecus enim habebatur falcem ab illa volucre in vite deprehendi. Hæc vox contumelioſa poſteà deflexa ad maritos parùm vigilanter uxores cuſtodientes Joſ. Laur. l. 2. Polym. Diſſ. 41. Plin. l 28. c. 16. & Eraſm. in Adag.

Cui bono? In Judiciis decantatiſſimum erat, quod Cicero *Caſſianum* appellat, à L. Caſſio Prætore, cujus tribunal propter nimiâ ſeveritatem *Scopulus reorum* dicebatur.

D. *Da-*

D.

Date viam Consuli. Lictores hâc voce Magistratibus viâ decèdere populum monebant.

De ea re ita censeo. Rogati sent entiam à Consule Senatores consurgebant ad sententiam dicendam, quam his verbis concipiebant: *De ea re ita censeo.* Interdum in sententiis dicendis utebantur verbo: *Placet*; interdum verbo: *Decerno.* Donatus in Andr. Decernere est de magnis rebus certam proferre sententiam.

Depositi. Depositi dicebantur; quorum jam propè desperata salus est, unde Cic. Act. 2. in Verr. *Ægram & depositam* Remp. dicit. Apud veteres moris erat, ut, qui periculoso morbo laborarent, desperatâ jam salute ante januas domorum deponerentur, ut à transeuntibus fortè curarentur, si qui jam simili morbo laboravissent. Plut. in libr. λάθε βιώσας hac de re ita: Prisci ægrotos suos in publico ponebant, ut prætereuntium quivis, siquis vel ipse eod. morbo conflictatus, vel similiter laboranti opitulatus sciret, quid medelæ esset, id ægrotanti significaret; ajuntque artem Medicam hoc modo experientiâ adjuvante crevisse. Eo fine Babylonios, qui Medicis non uteban-

bantur, in foro ægrotos suos exposuisse, refert Herod. in Clio.

Deûm virtute. Ita frequenter re benè gestâ loquebantur: solebant n. res prosperas Diis acceptas referre, ne sibi quicquam arrogare viderentur. Græcus: σὺν θεῷ καὶ παλάμᾳ.

Δευτέρων ἀμεινόνων. Usurpabatur id in hostiis succidaneis, quæ, cum priora minus prospera apparuissent, immolabantur faventibus linguis & exclamantibus: Δευτέρων ἀμεινόνων.

Dic. Post relationem ex ordine sententiæ rogabantur hâc formulâ v.g. *Dic* Marce Tulli.

Digito labellum comprime, compesce. Hâc formulâ silentium imperabatur.

Digito monstrari. Pulchrum & gloriosum ducebant, dicente Persio, digito monstrari & dicier hic est, Et Martialis:

Toto legor orbe frequens & dicitur: hic est.

Eò respexit Horat. Od. 3. l. 4. Carm.

Totum muneris hoc tui est,
Quod monstror digito prætereuntium
Romanæ fidicen Lyræ.

Digitum tollere. Gladiator victus non arma tantùm submittebat, sed & digitum tollebat ejúsq, ostensione à populo veniam postulabat, cum se victum fateretur. A

nutu enim Populi,vel Editoris, vel Imperatoris,si intervenerit aut intereſſet his ludis, vita & mors Gladiatoris læſi lapſique pendebat.Et hæc liberatio dicta *Miſſio*, diverſa à*Rude*:Nam miſſio ad victos pertinebat,Rudis ad victores;illius effectus,ut ab imminenti periculo & in eum diem duntaxat liberarentur,hujus,ut ætatem:mittebantur ergo læſi.Eſt itaq; *ſine miſſione dare* gladiatores,& *ſine miſſione pugnare* non aliud,quam ad certam mortem dari,niſi vincas,jus non eſſe victos ſupplicéſq; liberandi.Lipſ.l.2.Saturn. Serm.c.21.

*Dii Deæq; omnes.*Quandoque hâc formulâ confuſè omnes Dii Deæq; in ſacris vocabantur. (*ferant*

Dii melius duint!Dii meliora!Dii meliora His formulis malum aliquod omen abominantes utebantur. Virg.3.Æn.

Diî prohibete minas, Dii talem avertite caſum.

Diis manibus vel *Diis manibus ſacrũ*. Hæc verba vulgò monumentis præponebantur.

*Dii propitii ac faciles.*Quibus bonam &ſanam mentem optabant,his propitios faciléſq; Deos precabantur,uti contrà,quibus imprecabantur, iis Deos iratos exoptabant. Ita Seneca turpiſſimum Mæcenatis

de

de prorogando vitæ ſpacio votum ridens, quid huic optes, ait, niſi Deos faciles.

Dii te ſervent! ita milites interdum Imperatori ſuo acclamabant. Olim etiam Imperatori congiarium impertienti acclamari à plebe ſolitum?

De noſtris annis tibi Jupiter augeat annos.
Quò reſpexiſſe videtur. Ovid. l. 1. Faſt.

Augeat imperium noſtri Ducis, augeat annos.

Quæ fauſta apprecatio non ſolùm uſurpata erga Impp. ſed etiam erga amicos. Hinc Plautinus Amator: *Ego meam vitam tibi largiar & de mea ad tuam addam.* Formulæ ſynonymæ: *Dii te perpetuent! Felicter! Feliciſſimè! Vivas! Vincas! Valeas! Multi anni Regi! Multi anni Reginæ! Multis annis imperes!* Joſ. Laurent. l. 2. Polym. Diſſert. 12.

Dii me perdant! Diſpeream ſi, diſpeream niſi, ne vivam, ne ſim ſalvus! Dii te perdant! Dii Deæq; te perduint! Dii te infelicitent! Dii te eradicent! Quæ res tibi vertat malè! Malè ſit! malè tibi ſit! malè tibi dii faciant! Variæ execrationum formulæ.

Dii immortales, obſecro veſtram fidem, vel conciſè, *Dii veſtram fidem!* item, *Tuam fidem Venus! Hercules tuam fidem!* Hâc formulâ

Deorum auxilium implorabant, ubi *fidei* nomen opem & auxilium ſignificare Donatus denotat.

Divide, divide ſententiam. Quoties ſententiâ ſuâ duas pluréſve res quis complecteretur, eæ ſi non omnes probarentur, poſtulabatur, ut divideretur, i. e. de ſingulis referretur, hâc voce *divide.*

Doti tibi erunt. Promitti dos in hunc modum ſolebat, v.g. *Decem doti tibi erunt.*

E.

Effugi malum, inveni melius. Græci rotundius: ἔφυγον κακόν, εὗρον ἄμεινον. In nuptiis fuit receptum, ut puer aliquis puber, coronatus ſpinis & quernis glandibus, circumferret ſportulam repletam panibus, dicerétque: *Effugi malum, inveni melius.* Joh: Hart, Decur. 2. Locor. Memor. c. 8.

Equum vende. Si quem ex Equitibus notâ aut animadverſione cenſoriâ dignum exiſtimarent, ei *equum vendere* imperabant.

Eſſe, bibere, ut oportet. Animalium venditor ea ſana præſtabat hâc formulâ, *eſſe, bibere, ut oportet.*

Eſt Diis gratia. Re bene geſtâ Diis gratulabantur, i.e. gratias agebant hâc formulâ.

Ex animi ſententia. Juraturi ex animi ſui ſententiâ, pro ut ſe res haberet, jurare ſe profitebantur.

Ex bona fide. Formula in contractibus bonæ fidei adhiberi ſolita.

Expedi, Lictor, ſecures, expedi virgas, i Lictor, deliga ad palum, i Lictor, colliga manus, caput obnubito, infelici arbori ſuſpendito, ſummove Lictor, ſummove à Prætore meretricem. His verbis Magiſtratus Lictori mandata dabat.

Εὖ ἀκουήσειας! εὖ ζήσειας! Fauſta apprecatio cœnanti facta.

F.

F*Avete Linguis.* Cum rem divinam faciebant, his verbis ſilentium imperabant, ut nonnulli volunt. Alii putant eâ voce populum, non ut taceret modò, admonitum, ſed etiam, ut bona verba diceret, ac profanis & malè ominatis parceret. Quorundam ſententia his verbis, *ore & linguis favete*, imperatum, ut multitudo, quæ aderat, favorem ſacris præſtaret, ea votis faventibus proſequeretur, & verbis præeuntem Sacerdotem ſubſequeretur. Græci dicunt εὐφημεῖτε, bona verba dicite. Tibul. l. 2. El. 11.

Dicamus bona verba (venit natalis) ad aras,
Quiſquis ades, linguâ vir mulierq; fave.

Horat. Od. 14. l. 3. malè nominatis pareite verbis; & Virgil. l. 5. Æn.

Ore favete omnes & cingite tempora ramis.

Fauſtè ! Bene meritis acclamatum.

Felicitèr, Domino & Dominæ felicitèr ! In fauſtis acclamationibus, ut & ſponſalibus, familiaris vox erat : *Felicitèr!*

Feri, faciem feri. Ita milites in pugna mutuo ſe excitabant ad ſtrenuè decertandum.

Fœnum habet in cornu. Cornupetæ bovis cornibus fœnum alligari ſolebat, ut obvii ejus vitarent occurſum, unde & de homine improbo, cujus conſuetudo vitanda eſt, dici poteſt, quod *fœnum habet in cornu.*

Foràs Bulimum (famem) *intrò divitias & ſanitatem.* Attexere libet & hanc, licet Græca ſit, formulam, quâ de Plut. in Symb. Quod Archon in publico, reliquorum quivis domi ſuæ peragit. Vocatur autem Bulimi expulſio, cum ſervorum aliquem viticeis verberantes ferulis, per fores ejiciunt, his verbis — *Foràs Bulimum, intrò divitias & ſanitatem*; Græcè: ἔξω βούλιμον, ἔσω πλοῦτον καὶ ὑγίειαν.

Foràs, exi foras. Hâc formulâ uxor in divortiis ædibus exigebatur, *exi, collige ſarcinulas & exi.*

G.

Gypſati pedes. Venalium trans mare advectorum pedes cretâ notabant, erátq;

erâtq; hoc insigne venalitiis gregibus, ut cretatis sive gypsatis pedibus venirent. Apud Cicer. l. 7. Ep. 6. ad Famil. *gypsatissimæ* manus, quas idem Medeæ tribuit, dici videntur candidissimæ, aut medicamentis & veneficiis infectæ.

H*Abet hoc habet.* Vox insultantis adversarii, aut acclamantis vulgi erat, cum gladiator in arena læsus ceciderat. Seneca Tragicus:

Habet, peractum est: quas petis, pœnas dedit.

Hæc pars major videtur. Discessione facta dinumeratisque sententiis, Consulem eam sententiam, in quam plures pedibus iverāt, his verbis pronunciasse verisimile est.

Hæc quidem vis est. Veteres cum vehementiùs aut violentiùs tenebantur aut pellebantur, ita exclamabant.

Hæres ex asse, ex triente, quadrante &c. Hæres *ex asse* omnium solus hæres instituebatur his verbis v. g. *Lucius Titius ex asse mihi hæres esto.* Ex æquis partibus hæredes scribebantur hujusmodi verbis· Cornelius & Salustius & Varo *ex æquis partibus* hæredes sunto. Alii *ex partibus non æquis* scribebantur Hæredes hoc modo, *ex besse, triente, hæres mihi esto.*

Hæreditatem cernere. Scripti hæredes interdum cernere jubebantur hæreditatem.

Eſt autem *Cretio* certum dierum ſpatium, quod inſtituto hæredi datur, ad deliberandum, utrum expediat ei hæreditatem adire, nec ne. Quod ſi quis hæreditatem repudiâſſet, is ſine Cretione ſtatim excludebatur.

Hamaxiæa. Verba ſeſquipedalia à Græcis dicuntur ἁμαξιαῖα ῥήματα, verba plauſtralia. Talis vox eſt illa apud Ariſtophanem Comicum.

Ὀρθοφοιτυσυκοφαντοδικοταλαιπώρων τρόπων.

Quam vocem Hieronymus Wolfius reddidit:

Rectingredibuſycophantijuridicimiſeris (moribus.

Joann. Hartungus putat non ineptè pro ὄρθο legi ὄρθρο, ut de iis confictum ſit compoſitum, qui manè ſurgunt, ut forum frequentent ad exercendas ſycophantias, ac proinde miſeram vitam vivant. Præclarè idem addit: Utinam hoc vocabulum tam eſſet notum hodie, quàm non eſt, non ita juventus vix guſtatis ſtudiis ingenuis ad forenſia iſta tam irreverenter profanéque prorumperet. Joann. Hartung. Decur. 3. Memor. c. 3. Sunt, qui eandem vocem ad vitilitigatores, lites in æternum extrahentes, accommodant. Franc. Pollet. l. 2.

Hiſt,

2. Hist. F. R. c. 3. Idem Aristoph. in Vesp. Κυμινοπριστοκαρδαμογλύφους vocat eos, qui supra modum restricti sunt & sordidi, qui non erubescunt etiam τὸ κύμινον πρίειν & τὸ κάρδαμον γλύφειν, id est, qui cuminum secare in plures partes non verentur, prænimiâ tenacitate, ne integrum quidem granum concedentes, etiam è nasturtio, herbâ satis vili, ob parsimoniam aliquid desculpunt.

Hastæ subjicere. Ea, quæ publicè olim & privatim venibant, per Præconem venisse notum est, & quidem, quæ publicè venibant, non Præconis tantùm voci, sed & Hastæ subjiciebantur, hastâq; positâ, Præcone prædicante, ei, qui licitatione vicisset, addicebantur; hinc hasta Præconis *hasta venditionis* dicta.

Hastam abjicere, i.e. desperare & contentionem relinquere. Tractum à militibus fugitivis, qui victoriâ desperatâ, ut ad fugam sint expeditiores, hastam abjiciunt, ob id dicti ῥιψάσπιδες.

Herbam dare, porrigere i.e. victum se fateri. Olim n. cursu alióve certamine superati herbam ex eodem statim loco decerptam victori porrigebant, in signum partæ concessæque victoriæ. Confine huic & illud:

ma-

manus dare i. e. ſe victum agnoſcere.

Hercle, Hercules, Mehercule, Mehercules. Jurandi formulæ nulli non notæ, à quibus tamen ora Chriſtiana rectè abſtinent. Per Herculem viros, fœminas per Caſtorem, per Pollucem viros pariter ac fœminas jurâſſe alibi dictum. Socrates per quercum, platanum, hircum, canem, anſerem jurabat, eo cavillo explodens, uti exiſtimat Tertullianus, vanitatem gentilium, per ligneos & ſaxeos Deaſtros dejerantium Zeno per capparim, Pythagoras per quaternionem, Scythæ per ſolium Regis, ventum & acinacem, Ægyptii per allium, porrum, cæpas, Pœni per Deos patrios, Romani per Jovem lapidem, quô de ſuprà, alii per braſſicam jurárunt. Imperatorum temporibus per ſalutem & genium Principis juratum. Juramentum ruſticum à Plauto refertur: *Ita me amabit ſarculum.* Græci veteres metu pejerandi Deorum nomina interdum omittebant, & formulâ tantûm jurisjurandi contenti erant v. g. ναὶ τὸν vel νὴ τὸν. Rhadamantus, teſte Suidâ, vetuit, ne in jurejurando Dii nominarentur, ſed jurari voluit per anſerem, arietem & ſimilia. Joſ. Laur. l. 2. Polym. Diſſ. 1.

Hic eſt. Formula, qua quiſq; laudari expetebat

petebat, uti Demoſthenem lætatum eſſe ferunt, cum anus quædam Atica digito ipſum monſtráſſet & dixiſſet: ἀτός ἐστι ὁ Δημοσθένης.

Hic ſitus eſt. Hic jacet. In monumentorum titulis ſolennia verba erant.

Hoc age. Cum Magiſtratus rem divinam faciebat, aut auſpicia captabat, Præco inclamabat: *hoc age.* Qua voce admonebantur, ut attentis animis, nec perfunctoriè aliaſvé res agentes, ſacris auſpiciiſque operam darent, qui adeſſent. Eodem loquendi genere aliàs etiam Veteres attentionem ſibi conciliabant.

Hodiè nate ſalve. Qui Natalitia celebrantibus occurrebant, hâc ſalutationis formulâ utebantur. Plaut. Act. 1. Pſeud. Sc. 3. *Hodiè nate heus, hodiè nate, tibi ego dico, heus hodiè nate.*

Honorem præfari. Si turpe quid & obſcœnum dictu eſſent locuturi, honorem præfari ſolebant.

Hoſtes, Hoſtes. In tumultu exclamabatur.

Hoſtem feri. Vox militaris in pugna.

Hoſtibus eveniant. Imprecationes in ſe alioſve factas frequenter hâc formulâ averſabantur.

Huc adſpice, adſpice adme. Formulæ attentioni parandæ.

I.

I *Licet.* Desperationis formula. *Ilicet*, quasi *ire licet.* Sic Judices de Concilio dimittebantur, cum Præco pronunciâsset suprema dicta; *Actum est. Ilicet.* Novissimum etiam in funeris deductione verbum erat: *Ilicet.*

I modò vel *Abi*, ita dicebant, cum fastidiosè & contemptim aliquem amoliebantur. Aliàs & imprecationum formulæ erant. *I, quo dignus es. In malum rem hinc ibis. Abi in malam crucem, &c.*

Impera, si quid vis, si quid est opus. Solennis formula eorum, qui se paratos promptosq; ad omnia alterius causâ facienda significãt.

In alea atq; vino, vel: *in joco atq; vino esse.* His verbis tempus post convivium significabatur: nam sublatis epulis pocula tamen apud veteres relinquebantur, quibus mutuò inter se certantes convivæ, aut jocis animum hilarabant, aut aleâ ludebant.

In jus eamus. In jus veni. Sequere ad Tribunal. In jus ambula. His formulis juris sui experiundi gratiâ ad Prætorem olim evocare solebant adversarios.

In statu stare. Id de gladiatoribus dicebatur, qui componebant se & in arma colligebant mirâ arte curâq; sui defendendi, alterius petendi, quæ ex arte *positura* voca-

vocabatur. *Status* hodie de homine conſtantis infractique animi dicitur.

Inter bonos bene agier oportet. Formula fiduciæ. C. l. 7. ad Famil. ep. 12.

Intra legem epulari, i. e. minus conſumere quàm lex præſcripſit. Cic. l. 9. ad Pætum.

Iõ Saturnalia vel *Bona Saturnalia* ! Vox frequens in Saturnalibus, ſervorum Feſto.

Iõ Triumphe ! Imperatori triumphanti, dum per Urbem in Capitolium inveheba-tur, à milite acclamabatur: Iõ triumphe ! Horat. l. 4. Carm. Od. 2. ad Auguſtum :

Túque dum procedis, Iõ triumphe,
Non ſemel dicemus, Iõ triumphe,
Civitas omnis.

Ita me bene amet Laverna ! Jurandi formula, furibus frequens & coquis, qui plerumque furtificis ſunt manibus, Patet id ex Plauti Aulul. Act. 3. Sc. 2. *Ita me bene amet Laverna*, inquit coquus, *te jam, niſi vaſa mihi reddi jubes, pipulo hic differam ante ædes. Pipulo differre* i. e. convitio, priſco verbo, obvagulari: olim n. qui ſuam intentionem nullo poterat teſtimonio confirmare, is die tertio ad ædes adverſarii obvagulatum ibat. i. e. adverſario juſtum teſtibus adhibitis convicium faciebat. Conf. Lex. Philol. Matth. Martinii.

Ita

Ita me Deus amet! Ita me Dii ament! Ita ſim felix! Ita vivam! Vulgares jurādi formulæ.

Ite cum Diis benè volentibus. Diſcedentibus dici ſolitum. Plaut. Act. 4. Sc. 8. Mil. Glor.

Agite ite cum Diis bene volentibus.

Ite in ſuffragium bene juvantibus Diis. His verbis is, qui Comitia habebat, Tribus aut Centurias in ſuffragium mittebat.

Juro in verba N. N. *uri, vinciri, verberari ferroq; necari.* Formula jurisjurandi Gladiatorum, quæ legitur apud Petronium.

Juſtitium edicere, remittere. Juſtitium eſt juris dicendi intermiſſio. In luctu publico & inſigni Reipubl. calamitate juſtitium edici ſolebat, & periculo depulſo remitti conſueverat.

L.

Liber eſto, abi, quo lubet, nihil te moror. His formulis interdum manumiſſio peragebatur.

Liberorum procreandorum gratiâ. In tabulis nuptialibus ſolemnia verba erant *liberorum procreandorum gratiâ uxorem duci.*

Licet antestari? his verbis teſtimonium iis, qui præſtò aderant, denunciabatur.

Licet conſulere? Qui JCtos conſulendi gratiâ adibant, rogare ſolebant, an per otium & occupationes conſulere eos liceret,

ret, quod fiebat his verbis: *licet consulere?* respondebant illi: *Consule*, vel *Licet.*

Lubens meritò. Solemnis formulâ in precibus, gratiarum actionibus, suppliciis Deorum, quæ etiam extat multis inscriptionibus.

M.

Macte virtute esto! Sanguinolentis ex acie redeuntibus aut aliàs præclarè rem gerentibus id dici solitum. Liv. lib. 7, *Macti Virtute milites Romani este.*

Malum foras! Formula detestantis & abhorrentis. Virgil. l. 12. Æn. *Fors dicta refutet* i. e. Dii omen avertant.

Manibus demissis. Demissis manibus currit, qui currit contentissimè, quia cum rapido incitati cursu sumus, manus, utrasq; movētes demittimus. Taubm. in Pseud. Act. 3. Sc. 2.

Manibus puris. Arcebantur à Sacris, quibus non erant puræ manus, puræ tàm à sordibus & illuvie, quàm à cæde & sanguine. Notum est illud Mimi: *Puras Deus, non plenas adspicit manus.*

Mars vigila. Bellum Dux aditurus, Sacrarium Martis ingrediebatur, & Ancilia primò, pòst hastam simulachri commovebat, dicens: *Mars vigila.*

Mea lux, mea, vita, anime mi, mel meum, ocellus meus, mea voluptas, meæ deliciæ, mea ro-

ſa, meus molliculus caſeus. Plaut. Amantium blanditia.

Melius ominare, εὐφημεῖ ἴσθι, His verbis diras aut minas excipiebant & avertebant.

Memento. In Anteſtatione memoriæ cauſſâ actor auriculam imam tangebat Anteſtati cum hoc verbo: *memento*; unde eſt illud Virgil. Ecl. 6.

Cum canerem Reges & prælia, Cynthius
Vellit & admonuit (*aurem*

Et illud Horat. l. 1. Sat. 9.

— Licet anteſtari? ego verò
Oppono auriculam.

Plin. l. XI. c. 45. *Eſt in aure imâ memoriæ locus, quem tangentes anteſtamur. Vidi etiam,* inquit Ant. Muretus l. 12. Var. Lect. c. 5. *veteres nummos æreos, in quibus viri duo inſculpti erant, quorum unus alteri aurem vellebat, in orbem autem ſcriptum erat:* μνημόνευε.

Nihil gratiæ, nihil precibus dare. Jurati Judices ſententiam dicebant, & aliquem damnaturi jurabant, ſe nihil gratiæ, nihil precibus dare.

Nihil moror. In dimittendo reo his verbis uſi videntur: *nihil moror*, v. g. Sempronium nihil moror.

Nihil vos moramur, Patres Conſcripti. Formula Senatus dimittendi, quâ Senatoribus curiâ excedere permittebatur. *No-*

Nomen ſuum ferre. Teſtator interdum hæredes jubebat nomen ſuum ferre, & tum in bona & in nomen hæredes adoptari dicebantur.

Non referam, non rogabo, non patiar agi. Hæ voces erant Conſulum.

Non te peto, piſcem peto. Cantilena hæc Retiarii erat cum Mirmillone pugnantis, quia in ejus galeâ piſcis effigies inerat.

Nulla te hodie pulcrior. Mos antiquus his verbis laudandi novam Nuptam. Catullus in quodam Hymenæo: *Non tibi*, ait Sponſæ, *periculum eſt.*

Ne qua fœmina pulchrior
Clarum ab Oceano diem
Viderit venientem.

Jan. Guilielm. l. 2. Veriſim. c. 14.

Numera Senatum. Cuivis Senatori licebat Conſulem his verbis compellare, cum tot Senatores præſtò non erant, quoto numero licebat perſcribi SCtum.

Numina læva. Ita vocabant Deos averruncos ſive depulſores, quos, ne obeſſent, placabant, quales *mala fortuna*, *febris*, *pallor* &c. quibus & Fana publicè dicata fuerunt.

Nunquid vis? Nunquid aliud imperas? Diſcedentes vulgò ita rogabant & reſpondebatur: *Rectè*, vel *Valeas.*

Ollus Letho datus est, vel *Ollus Quiris letho datus est. L. Titius vixit. L. Titio exequias ire, cui commodum est, jam tempus est. Ollus ex ædibus efertur.* In funeribus indictivis à Præcone sic dicti solitum.

Omnes! Omnes! Acclamationibus hæ voces quandoque adjiciebantur. Præcipuè in Senatu SCtis ita acclamatum. *Omnes, Omnes, Æquum est, Justum est, omnes idem rogamus, ad idem consentimus.*

Optimo jure vel *optimâ lege Rex, Consul.* Formula hæc in Magistratibus creandis adhibebatur, cum omnium suffragiis dignitatem aliquis erat adeptus. NB. Consules & Prætores *fieri, creari, renunciari, declarari* aut *designari:* Dictatores *dici:* Interreges *prodi:* Senatores *legi* dicebantur.

Ossa ne violes. In sepulchrorum titulis interdum legebatur: *Rogo per Deos Stygios, ossa nostra, quisquis es homo, non violes.*

O te felicem! crede nobis, crede tibi; Sic te ament Dii, quemadmodum tu nos, ô nos felices! Has acclamationes à Senatu Trajano factas esse refert Plinius, postea in Senatu Principibus acclamari cœpit: *Sit felicior Augusto, melior Trajano.* Legi digni sunt Acclamationes Senatus post mortem Commodi, cui successit Pertinax Imp. *Ho-*

sti

sti patriæ honores detrahantur, parricidæ honores detrahantur, parricida trahatur, hostis patriæ, parricida, gladiator in spoliario lanietur. Hostis Deorum carnifex Senatus, qui Senatum occidit, unco trahatur, qui innocentes occidit, unco trahatur, ut salvi simus, Jupiter Optim. Maxim. serva nobis Pertinacem, fidei Prætorianorum feliciter, exercitibus Romanis feliciter, pietati Senatus. Hoc rogamus, parricida trahatur, exaudi Cæsar, Delatores ad leonem, exaudi Cæsar, sævior Domitiano, impurior Nerone sic fecit, sic patiatur. O nos felices te viro imperante!

P.

PArati, juva Deus. Militaris formula, cum prælium erat ineundum.

Parce ferro. Ita Hannibal militi dixisse fertur, cum ad Cannas plusquam quadraginta Romanorum millia cæsi essent.

Pascito linguam, i. e. linguam coërceto, contineto, taceto. Silentium in sacris his verbis imperabatur.

Penulam scindere. Si quis seriò, ex animo, quasi vi, manu injecta in penulam invitaret aut moraretur, is dicebatur *scindere penulam*; contra v. leniter & remisse aliquem invitans, dicebatur *lacinia tenere*. Jos. Laur. l. 2. Polym. Diss. 38.

Per genua. Judicem per genua obſecrare moris erat, ut faceret, quæ ſalva fide facere poſſet: cum n. genua Miſericordiæ conſecrâſſent, ea orantes tangere conſueverant.

Pileati. Servos, quorum nomine venditor nihil præſtabat emptori, pileatos producebat, uti annotat Gell. l. 7.

Plaudite. Peractis fabulis Spectatores his vocibus dimittebantur: *Valete & plaudite, plauſum date, clare plaudite*; quæ vel à grege, vel à perſonâ, quæ poſtrema in ſcenam introducebatur, dicebantur.

Pollicem premere, convertere. Populus ſi *pollicem premeret*, favere ſe ſignificabat Gladiatori, qui lapſus erat, eúmq; dimitti; ſi *converteret*, occidi jubebat. Juvenalis.

Munera nunc edunt, & verſo pollice vulgi
Quemlibet occidunt populariter.

Horatius:

Fautor utroq; tuum laudabit pollice ludum.

Pone arma & malo cave. Hâc formulâ ab occurrentibus militibus arma his auferebantur, quibus eâ lege & conſuetudine geſtare non licebat.

Porrige manum vel *dextram.* Formula jacentis alienam opem implorantis.

Præfiſcine vel *Præfiſcini.* Hac voce faſcinationibus occurrebant; qui enim ſupra modum

modum se laudabant aut præsentes laudabantur; fascini amoliendi & avertendi causâ hanc vocem præfari solebant, ut invidia dicto abesset & fascinatio. Sicut & in ædium januis & caminis suspendi solita quædam ridicula, quæ βασκάνια dicta ad avertendum fascinum, ut scribit Pollux l. 7.

Præs, Præs est. Si reus prædem poscereretur, is, qui amicissimus erat, sic respondebat.

Prehende furem. Formula, quâ furem insequebantur.

Procul, ô procul este profani. Ite procul, sacer est locus, ite profani, vel ut ait Ovid. l. 1. Fast.

Innocui veniant, procul hinc, procul impius esto;

His verbis profanos sacris arceri moris erat.

Q.

Quantum æquius melius. Frequens in arbitrio aut arbitrariis actionibus formula: Cic. pro Rosc. Comœdo. *Quid est in arbitrio? mite, moderatum, quantum æquius & melius, id dari.*

Quid agis? Post datam & acceptam salutem, trita erat hæc interrogatio.

Quid videtur? Quid fieri placet? Relationis consularis formulæ v. g. Consul dixit: De amicis Maximini quid videtur? acclamatum est, Hostes, Hostes.

Qui hæc ſentitis, in hanc partem; qui alia omnia, in illam partem, quæ ſentitis. Vel: *Qui hoc cenſetis, illuc tranſite; qui alia omnia in hanc partem.* Solennibus his verbis diſceſſiones imperatæ & in contrarias partes vocati ii, qui ſententiis diſſidebant, juſſiq; in hanc & illam partem diſcedere.

Quietem poſteri non invideant, qui ſecus faxit, manes ſentiet iratos. Item. *Quod feceris & tibi alius faciet.* Titulorum in monumentis hæ erant clauſulæ.

Qui Rempublicam ſalvam eſſe vult, me ſequatur. Hâc voce in tumultu & graviore periculo cives ad arma vocari ſolebant.

Quiſquis es, ſive Deus, ſive Dea es. Formula precationum, quæ ignoto Numini fiebat. Virgil. l. 4. Æn. v. 577.

—*ſequimur te, ſancte Deorum,*
Quiſquis es.

Plaut. in Rud. Act. 1. Sc. 4. *Quiſquis eſt Deus, veneror, ut nos ex hac ærumna miſeras eximat.* Addit Taubmannus: *Veteres ne errore laberentur, de nomine Dei alicujus certò dubitantes, dicere ſolebant: Quiſquis es.*

Quiſquis es, noſter eris. Imperatores, cum in fidem transfugas recipiebant, his verbis utebantur.

Quod abominor. Quod Dii omen avertãt. Quod

Dii prohibeant. His formulis infausta, dira, adversa, tristia respuebant & aversabātur.

Quod bene eveniat. Quæ res vertat bene. Quæ res rectè vertat. Solennes precationum & votorum formulæ.

Quod bonum, faustum, felix forunatúmq; sit. omnibus rebus agendis ita præfabantur. Præco auctionem auspicans ita proclamabat: Quod felix faustúmq; sit, rem distrahimus emptori. Cum v. emptor recipiebat, dicebat: Age, quod felix faustūq; sit, recipe.

Quod Consules verba fecerunt. Prima Senatusconsultorum verba plerumque ita concipiebantur.

R.

R*Atum fecit.* Auguralis formula, qualis illa: *Addixit avis.*

Receptui canere vel *Receptui signum dare*, est tubæ signo copias à pugnâ revocare.

Recipe ferrum, Gladiator, in arena si cecidisset, hâc voce monebatur, ut animosè ferrum reciperet & intrepide jugulum præberet victori, ne membra contraheret, aut manum opponeret &c. Cic. pro Sextio: *Ipsum v. quid accusas? num defuit gladius? num repugnavit? num, ut gladiatoribus imperari solet, ferrum non recepit?* Et Tusc. quæst. l. 2. *Quis mediocris gladiator, cum decubuisset,*

ferrum jussus recipere, collum contraxit. Mira firmitas, si in re bonâ.

Rectè atque ordine feciſſe videtur. Quorum facta comprobabat Senatus, eos recte atq; ordine videri feciſſe decernebat

Res tuas tibi habeto, res tuas tibi agito. Formula in divortiis recepta. Plaut. in Amphitr *Valeas, tibi habeas res tuas, reddas meas.* Jubebatur etiam, ut res ſuas procuraret, ædibus faceſſeret.

Rude donare. Rudis virga erat, quam Editor aut laniſta veterano gladiatorio, aut cui juberet populus, dabat libertatis & immunitatis à pugnâ ſignum.

Ruta cæſa. Hæc in venditione excipi ſolebant. *Ruta*, quaſi *eruta* dicuntur, ut arena & ſimilia nondum in opus converſa, *Cæſa*, ut arbores cæſæ, carbones & his ſimilia.

S.

Sacer eſto, Frequens Legum, quas ſacratas vocant, clauſula. Feſtus: *Homo ſacer eſt is, quem populus judicavit ob maleficium, neque fas eſt eum immolari, ſed qui occidit, parricidii non damnatur.*

Saga ſumi. In tumultu aut graviore imminente periculo decerni ſolebat SCtis; *Tumultum eſſe: Juſtitium edici, Saga ſumi* & tum ſagata erat Civitas.

Sal-

Salve. Dii ſalutari conſueverunt, quiq; Deos adierũt.ſalutem illis dixerunt vulgari verbo SALVE.Ita ex peregrinatione ſalvi domum reverſi patriam ſalutabant. Agam. apud Sen.*Tandem revertor ſoſpes ad patrios lares,ô chara ſalve terra.* Chryſalus ſervus apud Plaut.in Bacchid. *Herilis patria Salve.*Mos erat,ut qui primus regionẽ ingrederetur,eam religioſè ſalutaret,cum Genium.ei præeſſe crederent.Æneas apud Virgil.l 7.Æn.*Salve fatis mihi debita tellus.*

Seapham ſcapham dicere. Formula tritiſſima de eo uſurpanda, qui quamlibet rem ſuo appellat nomine, nihil ſpe grariæ aut metu offenſionis reticens Græcus ita :

τὰ Cῦκα Cῦκα, τὴν σκάφην σκάφην λέγει.

*Scindere veſtem.*Moris fuit apud Judæos & Romanos, ad oſtendendum ingentem animi dolorem & indignationem veſtem ſcindere 1.in funere & luctu.2. in blaſphemiis. 3.in clade & calamitate publicâ ſeu privatâ.Exempla in Sacris nota ſunt Virgil. l. 5. Æn. de claſſis incendio loquens :

Tum pius Æneas humeris abſcindere veſtem
Auxilioque vocare Deos, & tendere palmas.

Serva animam tuam. Noli animam tuam perdere. Tyranni olim Chriſtianos his verbis compellabant, quos ad fidei [illegible]nem cohortabantur.

Si

Si Dii volent, cum Diis volentibus. Uſitata &religioſa exceptio, quâ aliquid aggreſſuri utebantur.

Signifer ſtatue ſignum, hîc optimè manebimus Cum caſtra locanda erant, Signifero mandabant omnes ſignum ſtatuere.

Silentium. In auſpiciis ſilentium dicebatur, quod omni vitio carebat, nec fauſti quicquam, neq; infauſti prænunciabat. *Siniſtrum* a. *auſpicium* lætum ſpondebat eventum & ad agendum quaſi hortabatur.

Silete. Hâc voce ſilentium populo à Præcone exertâ manu videtur indictum. Tale græcum illud apud Euripidem: Σίγα, Σιώπα.

Si quid me vis, impera & factum puta. Formula ſervi ad herum, officium ſuum offerentis & obſequium pollicentis.

Sit tibi terra levis, molliter oſſa cubent, quieſcant. Hoc voto ſepultos proſequebantur, unde viatores in tirulis ſepulchrorum rogabantur, ut benè mortuis precarentur: *Rogo, ut decedens terram mihi dicas levem.* Contrà ſepultis imprecantes optabant, ut *terra eſſet onerosa.* Tiberio Imperatore mortuo populus lætatus eſt, & pars clamitavit: *Tiberium in Tiberim*; Alii v. terram matrem Deósq; manes orârunt, nec mortuo ſedem ullam, niſi inter impios darent. Suet. in ej. Vita

ej. Vita. In publicis imprecationibus quid potiſſimùm veteres devoverint, apertè Diphilus in Paraſito apud Athenæum l. 6. his verbis oſtendit: Ignoras in dirisexecrationibus quidnam illud ſit! Viam ſi quis rectè non monſtrat, ſi incendiarius eſt, ſi corrumpit & inficit aquam, ſi ad cœnam properantem impedit; quæ ultima lex verè paraſitica, quem de ſuo addidiſſe videtur. Joſ. Laur. l. 2. Polym. Diſſ. 13.

Si tamen ab orco receptus eſt. Formula hæc de flagitioſiſſimis & maximè impiis olim uſurpata eſt. Vide Taubm. in Act. 3. Sc. 2. Pſeud.

Si videtur. Nihil abſolutè & pro Imperio Senatus Conſulibus mandare ſolebat, ſed precariis potius, quàm imperativis verbis, & ſub hac exceptione: *Si videtur.*

Si vobis videtur, diſcedite Quirites. Dimittendæ concionis formula.

Sub corona vendere. Captivi omnes, qui lege belli venibant, coronati vendebantur.

T.

T *Halaſſio.* Vox nuptialis.

Theta præfigere i. damnare: capitali n. ſententiæ præfigi theta ſolitum, qſ. mortis ſignum, ἀπὸ τῦ θανάτυ. Perſ. Sat. 4.

Et potis es nigrum vitiis præfigere theta.

Lepidè quidam Epigrammatographus:

Infelix multis Theta eſt, mihi litera felix,
Si θάνατον ſcribit, ſcribit & illa θεόν.

Tuo capiti dictum ſit. Hoc modo imprecationes à ſe averſas in ejus caput, qui malè precatus fuerat, rejiciebant. Cælius Ruffus l. 8. Epiſt. ad Famil. ep. 1. Homines diſſipârunt te periiſſe, quod illorum capiti ſit.

Thura maſcula. Hæc aris dabantur & locupletes quidem thura acerrâ & lance plena dabant, tenuiores ſaltem grana aliquot & micas ſummis digitis flammis injiciebant. *Maſculum thus* eſt optimi thuris quædam ſpecies. V.

VÆ *victis!* Cum Româ captâ à Senonibus Gallis aurum ex conventione & pacto appenderetur, ut recederent, quod iniquis ponderibus exigi à barbaris querente Ap. Claudio, Brennus Rex Gallorum ad pondera gladium adjecit & dixit: *væ victis!* quem poſtea perſecutus Fur. Camillus, cum inſidiis circumventum concideret & quereretur contra fœdus fieri, eâdem voce remuneraſſe dicitur. Taubm. in Pſeud. Sc. ult. Vid. adagium: *Quid niſi victis dolor.*

Vale, Vale, Vale, nos te ordine, quo natura permiſerit, cuncti ſequemur. Ultima verba erant, quibus exequiis peractis domum repetentes mortuo benè precābantur, aliàs advenientes

advenientes *Ave* & abeuntes *Vale* dicebant.

Vaſa colligere. Omnis generis utenſilia, vaſa dicuntur. Cum caſtra movenda erant, vaſa colligere jubebantur milites, ad quod alludit Senec. Ep. 19. *Incipiamus*, ait, *in ſenectute vaſa colligere*; atque ita dicebantur *vaſa conclamari*. Cæſ. l. 1. Quo cognito ſignũ dari jubet & vaſa militari more cõclamari.

Velitis, jubeatis Quirites. Commune omnium rogationum principium v. g. *Velitis jubeatis Quirites, bellum indici* Acceptâ rogatione, populus reſpondebat: *Volumus jubemuſque. Volumus animo, jubemus verbis.* Aliàs proprium erat populi *jubere:* plebis *ſciſcere:* Senatus *cenſere.* Nam auctorita erat in Senatu, poteſtas in populo, ut loquitur Cicero.

Vellem quæ velles. His verbis amicus eum, cui malè & adverſus animi ſui ſententiam erat, alloquebatur, quaſi diceret: vellem tibi ita eſſet, ut tu quoque velles, mihique ægrè eſt, quod tibi quicquam præter voluntatem tuam evenerit Horat. Sat. 9. l. 1.

—— *Cupio omnia, quæ vis.*

Plaut. in Amphitr. *Debetis velle, quæ velimus: metuimus & ego & Pater de vobis & Republ.* M. Anton. Muret. l. 9. Var. Lect. c. 8.

Ver ſacrum. In magnis periculis *ver ſacrum* vo-

vovebant id est, omne pecus inter Calendas Martias & Majas natum se Diis immolaturos. Ita Romani ver sacrum in bello Carthaginensi vovebant, cujus rogatio his verbis concepta est: *Velitis, jubeatis Quirites, quod ver attulerit ex suillo, ovillo, caprino grege, Jovi fieri.*

Versis armis. Pugnare versis armis dicebantur Gladiatores, cum diremptâ prælusione abjectisque lusoriis armis ad vera transibant. Ovid. de Arte:

Ponite jam gladios hebetes, pugnetur acutis.

Pugnaturi enim antè armis præludebant, quàm pugnam in arenâ inibant, parmas aut clypeos, etiam hastas, fortasse & gladios in altum jaciebant & recipiebant cum venustate, idque vocabant proprie *ventilare. Tela* verò ipsa *lusoria* vel *exercitoria*, vera & acuta tela *decretoria*, quod velut decreto Editoris aut Prætoris dabantur, postquam inspecta acriter & probata; item *pugnatoria.* Seneca: *Remove ista lusoria arma, decretoriis opus est.* Lipſ. 2. Sat. c. 19.

Veto, Vox aut potius telum Tribunitium.

Vicit sententia. Variis & diversis in Senatu dictis sententiis, Vincere vel stare dicebatur ea, cui plures accedebant.

Viderent aut *darent operam Consules, ne quid Respubl. detrimenti caperet.* Hâc verborum formulâ Respubl. in periculum adducta Consulum Fidei mandabatur.

Vim fieri veto. Ita auxilium ferebant Tribuni his, qui opem illorum implorabant his verbis: *A vobis, Tribuni, postulo, ut auxilium mihi sitis.*

Vi-

Vinum Inferium. Cum vinum ſuper victimam fundebatur, hæc formula adjiciebatur: *Macte* (ſi taurus immolaretur) *hoc vino inferio eſto Inferium vinum* vocabant illud, quod dabatur vel infereba-tur, addebaturque verbum hoc, ne vinum in cellis conditum, unde illud promptum erat, ſacrum fieret.

Vir virum legit. Verba militaria. Veteres cum animoſiſſimè in prælium ire parabant, in ordinandâ acie hoc conſilium interdum ſequebantur, ut in cujus virtute plurimum fiduciæ eſſe quiſque ſtatueret, eum in acie proximum haberet, cujus latus, ut vir virum legeret, tegeret, & à quo viciſſim ſuum tegeretur. Virgil. XI, Æn.

Implicuere inter ſe acies legitque virum vir.

Vivamus, moriendum eſt. Priſci ad lætitiam hoc ſermone ſe mutuo invitabant. Ægyptii ipſum Ζυλεὸν mortui convivio inferre ſoliti cum monitione, *Ita brevi omnes futuros.* In veteri etiam inſcriptione ſepulchrali olim legebatur: *Amici, dum vivimus. Vivamus Vivamus,* inquam, *non bibamus, cum vulgo.* Lipſ. l. 1. Saturn. c. 19.

Vivas! græcè ζήσειας unicâ voce dicebatur, cum quis ἄμυστι, uno ſc. hauſtu vini plurimum ebibiſſet Caſſius Dio in Commodo. *Bibebat defeſſus in medio certamine, è calice mulieris è manu ſumpto uno hauſtu, inde populus & nos omnes ſtatim, quod in conviviis dici ſolet, acclamavimus: Vivas!* Grande igitur poculum unico hauſta ac ſine reſpiratione exiccatum cauſſa erat acclamandi: *Vivas!*

Ex-

Ex quibus liquet voeem illam *Prosit !* quam nuncinter propinandum & finitâ cœnâ aut prandio nsurpamus, pro eo nobis esse ferè, quod olim ζήσειαι Græcè, Latine *Vivas !* Jos. Leurent. l. 2. Polym. Dissert. 41.

Vixit. Ominis caussa & δυςφημίαι vitandæ gratiâ non obiisse, sed vixisse mortuos dicebant.

Votum solvi libens merito. His verbis vota se solvisse testabantur.

Uri, vinciri, virgis ferroque necari. Gladiatorum, qui se ludo vendiderant, auctoramentum illud erat, cumplanè alieno sese arbitrio&ludibrio subjecissent.

Uti è Republica fideque tua esse videbitur. Ubi quid negotii Magistratibus â Senatu dabatur hâc plerumque verborum formulâ mandabatur. Ita Livius Senatum Marcello Pro-Consuli rescripsisse narrat, *faceret, quod è Republica fideque suâ duceret.* Interdum his verbis, *quod commodo Republicæ fieri posset.* Gradum hîc sistimus

Τρισαγίῳ τῷ Θεῷ Δόξα
ἀείμνηστος.